
SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TS

DE ARTEMIDORO DALDIANO

LIBRORVM ONIROCRITICORVM AVCTORE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

Walther
GVALTERVS REICHARDT
VIMARIENSIS

LIPSIAE
TYPIS B. G. TEVBNERI
MDCCCXCIII

PRAEFATIO.

Artemidori Daldiani libros onirocriticos diu aestimaverunt minimi viri docti[1]) tantaque etiamnum obscuritate obruti videntur, ut permulti qui in studia antiquitatis incumbunt praeter nomen auctoris nihil de eis noverint. Sane causa excogitari potest, cur ea humilitate teneantur; quis enim est, qui his temporibus talibus ineptiis fidem tribuerit? Nec tamen hac de causa omnino relinquendi atque respuendi nobis sunt illi libri; permulta enim invenies in eis ad tempora illa plane illustranda idonea[2]); deinde sermone satis suavi atque eleganti floret auctor, ut ne in hoc quidem haereas.

De contextu constituendo optime meritus est Hercherus; commentarius post Rigaltium, Reiffium, Reiskium emendari debet. Ipse in studium Artemidori vocatus sum lectione librorum Ciceronis qui sunt de divinatione, a quibus me vertebam ad libros qui de divinatione ab aliis, inprimis philosophis, conscripti sunt, in eisque inquirendis incidi in hunc Artemidorum; neque igitur mirum videbitur, quod hunc quoque ad philosophos rettuli placitaque cum philosophorum placitis comparavi. Priusquam tamen ad ipsum Artemidorum accedam, haud alienum mihi videtur, quae valuerit de divinatione opinio a veterrimis temporibus Graecorum apud philosophos inprimis paucis exponere.

1) Hercher, Artem. Dald. onir. libri V Lipsiae 1864. pag. VII. VIII.

2) Vossius dicit: *Rem si spectas, nihil eo vanius, sed utilis tamen eius lectio erit, ob tam multa quae admiscet de ritibus antiquis et studio humanitatis.* (Fabr. bibl. gr. Harl. V 261.)

§ 1.

PHILOSOPHORVM DE DIVINATIONE PLACITA ATQVE LIBRI.

Ordiamur Ciceronem secuti ab antiquissimis. *Colophonius Xenophanes unus, qui deos esse diceret, divinationem funditus sustulit* (Cic. de div. I 5). Falso mihi mutasse videntur nonnulli: *C. X., unum qui deum esse diceret, d. f. s.* sane X. unum esse deum censuit: Eus. praep. evang. 678 d: *εὖ γοῦν καὶ Ξ. ὁ Κ. διδάσκων, ὅτι εἷς καὶ ἀσώματος ὁ θεὸς ἐπιφέρει*

Εἷς θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος
οὔ τι δέμας θνητοῖσι ὁμοίιος οὐδὲ νόημα —;

tamen a vitae consuetudine ducto[1]) de deis loqui ei licuit; idem enim fere in Stoicos cadit, ut infra demonstrabo; ego igitur Ciceronis l. l. sic interpretor: X. quamqam deos esse credidit, tamen divinationem sustulit, cum ceteri philosophi ab ipsis deis eam ducerent. — Plut. de plac. phil. V 1, quod testimonium fluxit ex Theophrasti de philosophorum placitis libro (cf. Diels, doxogr. gr. p. 133. p. 61. Zeller, Grundriss der Gesch. der gr. Philos.[3] pag. 7): *Ξ. καὶ Ἐπίκουρος ἀναιροῦσι τὴν μαντικήν.* Hoc de divinatione placitum explicasse videtur in libro suo *περὶ φύσεως*; nam quae praeter illum scripsisse traditur, ne tangunt quidem philosophiam: traduntur enim elegiae tragoediae[2]) parodiae silloi. — Quaerentibus unde

1) Cf. quae dicit Mullach de Democrito I 238: *Quamvis de rebus divinis aliter sentiret atque vulgus Graecorum, tamen in libro erudiendis civibus destinato necesse erat eum de diis ad vulgi captum accomodate loqui.* Porro de Senecae eodem sermone cf. Millard: Lucani sententia de deis et fato; Trajecti ad Rh. 1891 p. 31; deinde de Epicteto: Stuhrmann, de vocabulis notionum philosophicarum in Epicteti libris. p. 47. — Quae argumenta affert Freudenthal: Ueber die Theologie des Xenophanes, Breslau 1886 p. 11 sq. negans unum deum credidisse X., non me movent a sententia quam defendit Zeller.

2) Cf. Mullach, fr. ph. gr. I 100: *Fallitur Eusebius physicum et tragoediarum scriptorem Xenophanem vocans, nisi tragoedias eo sensu accepit, quo Plato* — Theaet. 152 C. Rep. 595 C. 605 C. 607 A — *Homerum tragoediarum principem esse dixit, ut poëma grave atque a comoediae iocis abhorrens intellegatur.* — Cf. Lobeck, Aglaoph. 976 sq. Kiessling ad A. P. v. 95.

hauserit X. ea de deis et divinatione decreta nonnulli responderunt, pendere eum a Pythagora, id quod negandum esse puto; tractanda igitur sunt Pythagorae de hoc argumento praecepta. De quo apud Ciceronem in libris de div. uno loco dicitur: II 119: *Iam Pythagoras et Plato, locupletissimi auctores, quo in somnis certiora videamus praeparatos quodam cultu atque victu proficisci ad dormiendum iubent; faba quidem Pythagorei utique abstinere, quasi vero eo cibo mens non venter infletur.* cf. Plut. de pl. ph. V 1.

P. igitur eiusque discipuli acceperunt divinationem uno excepto genere, ut exstat apud Plutarchum. Quaeritur ubi hae sententiae inventae sint: traditur autem vetitos esse Pythagoreos de philosophia libros componere, ne ipsorum decreta omnibus cognoscerentur (μὴ εἶναι πάντα πρὸς πάντας ῥητά). Sane Pythagoram ipsum nihil scripsisse nemo negabit, de discipulis constat. Nam cum societas illa Pythagoreorum exeunte saeculo V magis magisque solveretur, praecepta ne omnino perirent, discipulis erant conscribenda, inter quos maxime floruerunt Archytas et Philolaus. Itaque haec quoque quae spectant ad divinationem a Pythagoreis quibusdam nescio an posterioris [1]) aetatis litteris mandata sunt.

Venimus ad Democritum; qui quae censuerit de divinatione, satis bene scimus; videamus primum, quae de eo exstent apud scriptores.

Cic. de div. I 131. II 120: *Vtrum igitur censemus, dormientium animos per sene ipsos in somniando moveri, an, ut D. censet, externa et adventicia visione pulsari?* Ceterum quo spectet eis verbis Cicero, cognoscimus ex Plutarchi quaest. conv. VIII 10, 2; ab idolis igitur ducens somnia D. futuras res significari putavit. Priusquam ad eius scripta transeam, de vita quaedam, quae inveniuntur apud Diogenem Laertium et Suidam addam, quae quidem ad ipsam divinationem pertinere videntur. D. L. IX 39: τρέφεσθαι (τὸν Δ.) διὰ τὴν ἀπορίαν ὑπὸ τἀδελφοῦ Δαμάσου. ὡς δὲ προειπών τινα τῶν μελλόντων εὐδοκίμησε λοιπὸν ἐνθέου δόξης παρὰ τοῖς πλείστοις ἠξιώθη.

Suidas. Δημ. Ἀβδηρίτης ἐκ Θρᾴκης φιλόσοφος· μαθητὴς κατά τινας Ἀναξαγόρου καὶ Λευκίππου, ὡς δέ τινες καὶ Μάγων καὶ Χαλδαίων Περσῶν· ἦλθε γὰρ καὶ εἰς Πέρσας καὶ Ἰνδοὺς καὶ Αἰγυπτίους καὶ τὰ παρ' ἑκάστοις ἐπαιδεύθη σοφά.

Vnde intellegimus Democritum ipsum futuras res praedixisse, quod ex priore quidem loco aperte elucet nec minus certe effici-

1) Cf. Zeller, Philos. d. Griechen IIIb³ 99 sq.

tur ex altero; etenim si traditur discipulus fuisse Chaldaeorum et Magorum, unde melius id potuit cognosci quam ex praedictionibus rerum futurarum? Itaque contendentes Democritum usum esse illorum disciplina vaticinia eum edidisse dicere mihi videntur.[1]) Neque enim verisimile est iam tunc tanta eum fecisse itinera, praesertim cum pauperem fuisse eum acceperimus. Inter Democriti scripta, quae pariter ac Platonis per tetralogias digessit Thrasyllus (D. L. IX 45), hoc invenimus, quo ut de aliis ita de divinatione sententias exposuisse videtur, dico *περὶ εἰδώλου ἢ περὶ προνοίης*; ex imaginibus enim sive simulacris somniorum originem repetendam esse opinatus est, ut modo commemoravi. — Alius exstat in indice operis titulus quo idem argumentum tractatum esse putaveris: *πρόγνωσις*. Neque tamen ego censeo de divinatione ibi dixisse Democritum; eadem enim in tetralogia affertur atque *ἰητρικὴ γνώμη* et *περὶ διαίτης ἢ διαιτητικόν*, ut ibi explicasse eum appareat, unde morbi quidam, qui essent, cognoscerentur.

Nunc Socrates, quem quidem ipsum nec de aliis argumentis nec de divinatione litteris quidquam mandavisse constat, quae censuerit de oraculis videamus, qua in re Platonem potissimum et Xenophontem auctores sequimur.

S. a deis eorumque in homines benignitate profectus de divinatione agit; opinatur enim eos, ut sint benigni, (*ἐπιμελεῖσθαι, φροντίζειν, θεραπεύειν, συνεργεῖν*) hominibus dubitantibus quid sibi sit faciendum futuras res significare; itaque insipientis esse et oracula consulere de eis rebus, quas ipse cogitatione possit invenire, et omnino eorum responsa reicere. cf. Mem. I 1, 6. Somniis idem ut futura significantibus fidem tribuit; cf. Plato, Apol. 33 C. Phaed. 60 D. Crit. 44 A.

Platonis quoque de divinatione placita adumbrabo[2]); disseruit de ea his potissimum locis: Phaedr. 244 sq. Rep. IX 571 B sq. Tim. 71 sq. Atque in Phaedro quidem et Timaeo ad insaniam vel deos refert divinationem; in re publica somnia ex anima somniantis, ex reliquiis cogitationum vel motuum (cf. Tim. 45 E) oriri, non a deo immitti censet: *quaedam cupiditates tam castigatione legum quam sobriis et melioribus rectae voluptatibus vel omnino exsolescere vel in paucas admodum atque exiles*

1) Accedit, quod posteriore aetate hoc multi affirmabant ab orientis populis accepisse philosophiam Graecos. cf. Jos. c. Ap. I 165.

2) Cf. Zeller, Philos. d. Gr. IIa[4] 864 s.

attenuatae reliquias otiosae latere. Porro aliae usque ad praecipitem amentiam confirmari; quae se exserunt immanius per quietem, quotiens ratione sospita, quae est rector mansuetissimus, cetera pars animi agrestior immani quadam ebrietate luxurians pulsa quiete pergit ad incestas libidines; tunc quippe nihil est, quod non audeat ... contra cum erit in salubri statu posita casteque cubitum ibit, ... tum certe rationabilis animae pars perveniet ad indaginem veri; quae est sincera prudentia nec ulla existet species nefaria somniorum. Sic explicat Chalc. comm. in Plat. Tim. Mullach II p. 234. His igitur verbis somnia ut ab animo ficta, non immissa a deis aut daemonibus declarantur.

Spernebant divinationem omnem Cynici, inter quos Oenomaus altero p. Chr. n. saeculo scripsit *γοήτων φωρά*. (cf. Eus. pr. ev. V 21) Vehementissime ille invectus est in oracula: *Παῦσαι δὲ καὶ σύ, ὦ Ἄπολλον, μάταια χρησμῳδῶν· ἔσται γὰρ ὃ δεῖ, ἔσται κἂν σὺ σιωπᾷς.* (Eus. pr. ev. VI 7, 37.) De fato autem Stoicorum, unde ducebant divinationem, haec habet: *Ὦ Χρύσιππέ τε καὶ Κλέανθες καὶ ὅσοι τούτου τοῦ χοροῦ — ὑμεῖς γαρ πεποίησθε εἶναι ἀγαθοί — ἐγὼ μὲν ἀρετὴν ἐπαινῶ, ὑμᾶς δὲ τοὺς ἐναρέτους οὐκ ἐπαινῶ· ἀλλὰ καὶ τὸν Ἐπίκουρον ὃν σὶ πολλά, ὦ Χρύσιππε, ἐβλασφήμησας, ἐγὼ τό γε ἐπὶ σοὶ ἀφίημι τῶν ἐγκλημάτων. Τί γὰρ πάθῃ ὃς οὐχ ἑκὼν ἦν μαλακὸς οὐδὲ ἄδικος, ὥσπερ πολλάκις αὐτὸν ἐλοιδόρησας;* (Eus. pr. ev. VI 7, 40.)

Antiphon quidam apud Ciceronem commemoratur: de div. I 39. 116. II 144; quis ille sit, quaeritur; afferam igitur, quae apud Suidam et Diog. Laert. de Antiphontibus traduntur: S. *Ἀ. Ἀθηναῖος τερατοσκόπος καὶ ἐποποιὸς καὶ σοφιστής· ἐκαλεῖτο δὲ Λογομάγειρος.* sequitur Ant. rhetor; deinde:

Ἀ. Ἀθηναῖος ὀνειροκρίτης περὶ κρίσεως ὀνείρων ἔγραψεν.

D. L. II 5, 25. *Τούτῳ* (i. e. Socrati) *τις, καθά φησι Ἀριστοτέλης ἐν τρίτῳ περὶ ποιητικῆς, ἐφιλονείκει Ἀ. ὁ τερατοσκόπος.*

Duo potissimum Antiphontes noti esse solent omnibus quicunque in studia antiquitatis incumbunt: alter rhetor Rhamnusius, alter sophista, uterque fere aequalis Socratis et Platonis; sed antiquis iam temporibus, num discernendum esset inter hos, dubitatum est. Cf. Hermogenis de Antiphonte iudicium: Walz, rh. gr. III p. 385. Antiphon ed. Blass p. XXIX. — Nuper Hermannus Sauppius ea re tractata in ind. schol. Gott. 1867 haec censet: non disiungendum esse apud Suidam alterum a priore, cum Didymus apud Hermogenem, coniectorem, somniorum inter-

pretem[1]) sophistam unum eundemque esse auctor sit gravissimus. Sed quid sibi velit ἐποποιός prorsus obscurum esse. Quamquam igitur, inquit Sauppius, memoria eius admodum obscura est, certe tamen constat, Atheniensem eum fuisse, invidia quadam ductum identidem altercari cum Socrate coepisse, coniectorem fuisse et interpretem somniorum; composuisse libros complures, primo cui inscriptum esset ἀλήθεια, deinde περὶ ὁμονοίας, tum πολιτικόν, denique περὶ κρίσεως ὀνείρων. Quarti libri tanta apud veteres claritas fuisse videtur ut Antipater Tarsensis multa ex eo in suum, qui est de somniorum interpretatione librum transferret. (Cic. de div. I 39.) Quo in opere portenta quoque et omina ab A. explicata sunt.

Iam dicendum est de Aristotele: Cic. d. div. I 81: *A. quidem eos etiam, qui valetudinis vitio furerent et melancholici dicerentur, censebat habere aliquid in animis praesagiens atque divinum.* Vnde intellegimus probasse Aristotelem divinationem. Venit ad nostram aetatem opusculum illius περὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς, quo divinationem, quae per somnia fieret, non omnino sustulit, sed dubitavit de ea; neque contemnere facile ei fuit divinationem per somnum neque probare. De somnio autem hoc censet: visum quod a sensorum motu ortum per quietem animalibus occurrit, in eo quod dormiunt, hoc somnium est. Neque θεῖον est somnium, sed δαιμόνιον haberi debet, quoniam omnia animalia somniant, non solum homines. Ceterum hoc modo existunt: non modo vigilantibus nobis motiones illae quae per eos sensus accipiuntur, qui foras prospectant et in parte corporis exteriore iacent, sentiuntur, sed etiam cum affectio ea suborta est, quod somnum vocamus: nam interdiu operantibus quidem sensibus ac mente eliduntur (motiones) et vanescunt, noctu autem, quia particulares sensus feriuntur et agere nequeunt, propterea quod calor exteris partibus relictis in viscera se condit, ad initium sensus originemque delabuntur et obturbatione sedata manifesta fiunt. Ea de insomniis; de divinatione autem, quae fit per insomnia, haec censet[2]): περὶ δὲ τῆς μαντικῆς τῆς ἐν τοῖς ὕπνοις γινομένης καὶ λεγομένης συμβαίνειν ἀπὸ τῶν ἐνυπνίων, οὔτε καταφρονῆσαι ῥᾴδιον οὔτε πεισθῆναι· τὸ γὰρ μηδεμίαν αἰτίαν εὔλογον ὁρᾶν, καθ' ἣν ἂν γίνοιτο, τοῦτο διαπιστεῖν ποιεῖ· τὸ γὰρ θεὸν εἶναι τὸν πέμποντα πρὸς τῇ ἄλλῃ ἀλογίᾳ καὶ τὸ μὴ

1) Blass (Antiphon p. 143) negat, communionem quandam habere librum περὶ κρίσεως ὀνείρων cum oratore; sane; neque tamen abhorret a sophista. Sauppe, or. att. II 146 B.

2) Cf. Arist. op. ed. ac. Bor. I p. 462.

τοῖς βελτίστοις καὶ φρονιμωτάτοις ἀλλὰ τοῖς τυχοῦσι πέμπειν ἄτοπον· ἀφαιρεθείσης δὲ τῆς ἀπὸ τοῦ θεοῦ αἰτίας οὐδεμία τῶν ἄλλων εὔλογος εἶναι φαίνεται αἰτία; deinde alio loco: *ἀνάγκη δ' οὖν τὰ ἐνύπνια ἢ αἴτια εἶναι ἢ σημεῖα τῶν γιγνομένων ἢ συμπτώματα ἢ πάντα ἢ ἔνια τούτων ἢ ἓν μόνον . . . οὕτω μὲν οὖν ἐνδέχεται τῶν ἐνυπνίων ἔνια καὶ σημεῖα καὶ αἴτια εἶναι, τὰ δὲ πολλὰ συμπτώμασιν ἔοικεν . . . . διὸ καὶ πολλὰ τῶν ἐνυπνίων οὐκ ἀποβαίνει· τὰ γὰρ συμπτώματα οὔτ' ἀεὶ οὔθ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίνεται.* Tribuit igitur A. in illo libello divinationi munus satis leve.[1])

Nunc de discipulis eius pauca addam. Atque Dicaearchus quidem admisisse traditur divinationem per somnium et furorem (Cic. de div. I 5), cetera genera sustulisse; quae placita probabilitate quadam conici potest quibus operibus explicaverit; scripsit enim *περὶ ψυχῆς λόγον Κορινθιακὸν* et *Λεσβιακόν*, quibus demonstrare conatur mortalem esse hominis animam. Cf. Cic. Tusculan. disputat. I 21, I 77.[2]) — Deinde commemoratur Dicaearchi *κατάβασις εἰς Τροφωνίου*, cuius opusculi quod fuerit argumentum pro certo contendere non audeam; *hoc tamen* — dicit Müller fr. hist. gr. II 266 — *iure sumas, non id egisse Dicaearchum, ut oraculum Trophonii eiusque ritus et instituta per plures deinceps libros ad modum periegetarum describeret;* suspicor fuisse talem expositionem qualem *λόγον Κορινθιακόν*, sermonem hunc habitum esse Corinthi, illum in antro Trophonii.

Eadem atque Aristoteles de divinatione professus esse videtur Strato Lampsacenus, cuius appellat libros *περὶ ἐνυπνίων*, *περὶ ὕπνου* Diog. L. V 59; commemorantur inter physicos libros; hoc ipsum ad A. nos vertit, qui ex naturae ordine, ex motibus, qui impensius noctu sentirentur sensumque facerent in corpore, somnia ducebat.

De Cratippo videas Susemihl, Gesch. der griech. Litt. in der Alexandrinerzeit, II 306, 344. — Videamus nunc, quae de divinatione

1) Cf. Chalcid. comm. in Tim. cap. 248.

2) Tribuit Müller fr. hist. gr. ex locis Cic. d. d. I 5, I 113, II 105 et ex Plut. pl. ph. V 1, 4 Dicaearcho librum *περὶ μαντικῆς*; inscriptio autem illa a nullo traditur scriptore; deinde de divinatione sententias facillime potuit proferre in libro de anima; hoc sane M. concedo, verba Ciceronis II 105: *„magnus Dicaearchi liber est nescire ea* (quae eventura sunt) *melius esse quam scire"*, spectare aptius ad librum qui inscriptus est *περὶ μαντικῆς*; sed ne hoc quidem a librorum de anima materie prorsus abhorret; in medio igitur relinquam hanc quaestionem, iure an iniuria ascriptus sit D. liber *περὶ μαντικῆς*.

existimaverit Epicurus; (Usener, Epicurea p. 109. 224. 261) ex omnibus autem quaecunque afferri possunt, testimoniis satis clare elucet reiectam ei esse. Cic. d. d. I 5: *reliqui omnes praeter Epicurum balbutientem de natura deorum divinationem probaverunt.* II 40. de nat. deor. II 162. Plut. pl. phil. V 1. Diog. L. X 135: *μαντικὴν δ' ἅπασαν ἐν ἄλλοις ἀναιρεῖ, ὡς καὶ ἐν τῇ μικρᾷ ἐπιτομῇ*[1]) *καί φησι· 'μαντικὴ ὡς ἀνύπαρκτος, εἰ δὲ καὶ υπαρκτὴ, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς ἡγοῦ τὰ γιγνόμενα.'* Quo autem libro eas de divinatione opiniones protulerit, quoniam non omnium operum inscriptiones, nedum fragmenta servata sunt, affirmare certe non possumus; novimus has inscriptiones: *περὶ θεῶν, περὶ εἰδώλων, περὶ εἱμαρμένης, προγνωστικόν.* Huius *προγνωστικοῦ* libri argumentum cognovisse sibi videtur Usener ex locis quibusdam alterius epistolae ad Pythoclem missae[2]): § 98, § 115 (Usener, p. 43, 54), ubi de tempestatis signis dicitur. In libris autem illis *περὶ θεῶν, περὶ εἱμαρμένης, περὶ εἰδώλων* ut suo iure divinationem potuit tractare, ita cum tot volumina, teste Diog. L. trecenta, conscripserit, haec decreta proprio explicasse opere eum suspicor.

Ab Epicuro ad adversarios, si licet vocare adversarios Stoicos, transibimus. Ac de principe quidem scholae Stoicae Zenone[3]) apud Diog. L. VII 149 haec sunt: *καὶ μὴν καὶ μαντικὴν ὑφεστάναι πᾶσάν φασιν, εἰ καὶ πρόνοιαν εἶναι· καὶ αὐτὴν καὶ τέχνην ἀποφαίνουσι διά τινας ἐκβάσεις, ὥς φησι Ζήνων τε καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ μαντικῆς καὶ Ἀθηνόδωρος καὶ Ποσειδώνιος ἐν τῷ δευτέρῳ τοῦ φυσικοῦ λόγου καὶ ἐν τῷ πέμπτῳ περὶ μαντικῆς· ὁ μὲν γὰρ Παναίτιος ἀνυπόστατον αὐτήν φησιν.*

Quod de divinatione decretum Zeno librorum, qui apud D. L. afferuntur, uni tantummodo mandasse videtur; restat enim apud illum inscriptio: *περὶ σημείων*; ceterum quoniam ad aliud facile argumentum hic titulus potest pertinere, ne hoc quidem libro pro certo contendo divinationem esse tractatam. cf. 120, 2. (*Περὶ σημείων* libro de indiciis logicis egisse et Weigoldt, Zeno von Cittium und seine Lehre, Jena 1872 — et Prantl — Geschichte der Logik I p. 404. 458 Anm. 151 — censet, de divinatione potius in

1) Usener, p. 99.

2) Compilatam esse eam epistolam ex Epicuri *περὶ φύσεως* libris docet Usener, p. XXXIX.

3) Cf. Wachsmuth, ind. schol. Gott. 1874/5. Troost, Berl. Stud. XII.

eo scriptum esse credit Wellmann: ann. Fleck. 1874; Schmekel, die Philosophie der mittleren Stoa, p. 337 et postr. in eadem dubitatione haeret de Philodemi *περὶ σημείων* libro.)

Nunc contemplabimur universam de divinatione Stoicorum sententiam. Maximi autem momenti videtur id quod Cicero dixit de tota schola: I 118. I 132. — Reiecerunt communem divinationem, non negaverunt ullam esse; contra, si esset divinatio esse deos, non solum contendebant, sed etiam, si dei, esse divinationem. I 82.

Porro cum existimarent, vim divinam per universum mundum pertinere, inde efficiebant, singulas quoque illius partes uno inter se vinculo contineri tantamque esse earum naturae convenientiam (*συμπάθειαν*) ut nulla ne in minima quidem et remotissima parte fieri posset immutatio, quin illa reliquas quoque omnes quodam modo afficeret. Statuebant igitur, quaecunque fierent, causis fieri antegressis certisque rebus certa signa praecurrere *alia in extis, alia in avibus, alia in fulguribus, alia in ostentis, alia in stellis, alia in somniantium visis, alia in furentium vocibus.* Cic. d. d. I 118. Neque autem acquiescebant in eis signis quae certe futura significabant — Cic. d. d. I 13 — sed, id quod falsum erat, de omnibus idem tulerunt iudicium, quorum argumenta afferre non potuerunt; quae si ita essent, si omnia a principio praedestinarentur, nullam omnino habere utilitatem divinationem obicientibus cum nihil possent respondere Stoici, quod gravissimum urserunt divinationis argumentum relinquere coacti sunt. Deos enim, qua essent benignitate, ut prodessent hominibus signa dare contenderant. Tale quid quaerit Eusebius pr. ev. 138 b. *τί γὰρ ὄφελος ἡμῖν ἢν προμανθάνειν τὰ πάντως ἐσόμενα δυσχερῆ ἃ οὐδὲ προφυλάξασθαι δυνατὸν ἂν εἴη; τὰ γὰρ καθ' εἱμαρμένην γινόμενα πῶς ἄν τις φυλάξασθαι δύναιτο*; ceterum hoc responsum inveni sane memorabile, si ad posteriorem progredi aetatem mihi licet, apud Achillem Tatium: (cf. Rohde, griech. Roman p. 477) *φιλεῖ τὸ δαιμόνιον πολλάκις τοῖς ἀνθρώποις τὸ μέλλον νύκτωρ λαλεῖν, οὐχ ἵνα φυλάξωνται μὴ παθεῖν — οὐ γὰρ εἱμαρμένης δύνανται κρατεῖν — ἀλλ' ἵνα κουφότερον πάσχοντες φέρωσιν.* Plane aliter sentit Cassandra apud Schillerum nostrum:

Frommts den Schleier aufzuheben,
Wo das nahe Schrecknis droht?
Nur der Irrtum ist das Leben,
Und das Wissen ist der Tod.

cf. Horatii carm. III 29, 29. Cic. d. d. II 24.

Duo autem sunt, ut pergam in exponendis Stoicorum placitis, genera divinandi[1]), unum quod particeps est artis, alterum quod arte caret. Naturale genus divinandi est, quod animus arripit aut excipit extrinsecus a divinitate, unde animos omnes haustos aut acceptos aut libatos habemus. *Carent arte ei, qui non ratione aut coniectura observatis ac notatis signis, sed concitatione quadam animi aut soluto liberoque motu futura praesentiunt, quod et somniantibus saepe contigit et nonnunquam vaticinantibus per furorem. Ars autem est in eis qui novas res coniectura persecuntur, veteres observatione didicerunt.* (Cic. de div. I 34.) Transeamus iam ad singulos Stoicos quos de divinatione scripsisse traditum nobis est; sunt autem hi: Cleanthes, Chrysippus, Boethus, Sphaerus, Diogenes Babylonius, Antipater, Panaetius, Posidonius. (Zeller IIIa³ 336.) Atque primum quidem Cleanthis de divinatione sententiam tradit Cicero d. d. I 6: *Cum Stoici omnia illa defenderent, quod et Zeno in suis commentariis quasi semina quaedam sparsisset et ea Cleanthes paullo uberiora fecisset* ... — Neque autem ex hoc loco satis clare elucet proprium de divinatione opus compositum esse a Cleanthe; facile sententiae potuerunt explicari in libris *περὶ θεῶν* vel in *ὑπομνήμασι φυσικοῖς.*[2])

Plura habemus dicere de Chrysippo. cf. Cic. d. d. II 130. Diog. Laert. VII 149. Schiche, de fontibus librorum Ciceronis qui sunt de divinatione. Jena 1875, p. 7; proferuntur illius duo de divinatione libri, unus de oraculis, unus de somniis (Cic. I 3, 6); conferenda sunt haec quoque verba Ciceronis II 115. II, 144, quibus locis aperte demonstratur, libro *περὶ χρησμῶν* Apollinis potissimum oracula collegisse, *περὶ ὀνείρων* somnia futuras res significantia; aliud eius rei testimonium adicere liceat ex Eus. pr. ev. 139b.

Illius autem *περὶ μαντικῆς* operis ex ipso titulo concludi potest argumentum. cf. Eus. pr. ev. 137b: *οὕτω τὴν ἀπόδειξιν ἡμῖν Χρύσιππος κεκόμικε, δι᾽ ἀλλήλων κατασκευάζων ἑκάτερα· τὸ μὲν γὰρ πάντα γίγνεσθαι καθ᾽ εἱμαρμένην ἐκ τοῦ μαντι-*

1) Ex Corsseni coniectura haec non omnium erat Stoicorum sententia, sed Posidonii, cum Chrysippus omnem divinationem artem esse statueret; sed pugnat cum hac opinione D. L. VII 149: *καὶ αὐτὴν καὶ τέχνην ἀποφαίνουσι* etc. (thesis diss. inaug. de Posid. Rh. adnexa).

2) Nec minus dubium est, num Zeno peculiarem de ea librum scripserit; non est sine veritatis specie, in libris alia argumenta tractantibus illum quae sibi placerent docuisse. Tum bene intellegimus, cur dicat Cicero: semina quaedam. cf. p. 118, Schiche, p. 2.

κὴν εἶναι δεικνύναι βούλεται· τὸ δὲ εἶναι μαντικὴν οὐκ ἂν ἄλλως ἀποδεῖξαι δύναιτο, εἰ μὴ προλάβοι τὸ πάντα συμβαίνειν καθ' εἱμαρμένην.

Item Sphaeri, Zenonis atque Cleanthis discipuli (D. L. VII 37), traditur titulus libri *περὶ μαντικῆς* nec non Diogenis Seleucensis sive Babylonii commemoratur opus *περὶ μαντικῆς*. cf. Cic. d. d. I 6. Boethi, qui fuit Diogenis discipulus (Zeller III a[3] 46, 1) exstant apud Diog. L. VII 148 sq. inscriptiones *π. εἱμαρμένης, π. φύσεως*; unum potissimum genus divinationis amplexus est: quaerebat maxime, qui cohaererent prognostica cum rebus significatis. (Cic. de div. I 13. II 47.)

Secuntur Antipater, Panaetius, Posidonius. Antipater scripsit duos de divinatione libros, quibus multa collegisse videtur somnia; Cic. d. d. I 6. I 39. I 123. II 144. Consensisse cum ceterorum sententiis Stoicorum videtur ex locis Ciceronianis II 35. II 101.

Quinque libros edidit Posidonius; ex illis autem Cicero maximam prioris libri partem conscripsit. Schiche ostendit Posidonium primo libro universe divinationem defendisse, altero demonstrasse divinationem re vera artificiosam esse, tertio idem de ea, quae arte careret, quarto quibus rebus divinatio confirmaretur, quinto quae eius esset ratio. Quaeritur quid scripserit Posidonius, quo implere potuerit quinque libros; hoc unum potest cogitari auctorem colligendis quam plurimis exemplis divinationem probare conatum esse. cf. Diels, sibyll. Blätter p. 22: *Ein Blick in Cic. Bücher de div. und in Plutarchs verwandte Schriften lehrt, dass der sonst so treffliche Philosoph wie Chrysipp mehr mit dem Mass der Autoritäten als mit der Schärfe des Urteils das stoische Dogma zu stützen suchte. Man gewinnt den Eindruck, als sollten die bösen Skeptiker in einer wahren Sintflut von frommen Geschichten und Citaten ersäuft werden, so massenhaft werden die wohlbezeugten Wunder und die eingetroffenen Prophezeiungen aus allen Ländern herbeigeschleppt.* — Quod tot nobis locis occurrit apud Ciceronem nomen Posidonii, mirum non videbitur ex eo quod de origine libri dictum est. I 6. 64. 125. 130. II 35. 47. Ceterum exemplum quoddam Posidonio debitum invenies apud Senecam nat. qu. II 26, 4; id enim optime mihi videtur quadrare in Posidonii libros *π. μαντ.*, quibus ostenta quoque narrasse, quae significarent, eum explicasse putaverim.

Venio ad Panaetium, (cf. Zeller IIIa[3] 567, 5) qui a ceteris Stoicis multo discessit: etenim ille si non omnem divinationem, tamen astrologiam omnino reiecit: Cic. d. d. I 6, Acad. pr. II 107.

Vrgetur his locis, dubitasse P. de divinatione, non reiecisse; longius autem ut modo dixi in iudicanda astrologia processit: d. d. II 88; eius igitur scripto quodam Cicero usus est ad refellendos Chaldaeos d. d. II 87—97 (Schiche p. 13); quaestio oritur, quo opere Pan. exposuerit sua de astrologia placita, peculiaris enim Panaetii de divinatione liber non fuit, qui si fuisset, aut Cicero sine dubio in Stoicorum de div. librorum serie (I 6) aut ubi astrologiae refutationem ad Panaetium refert (II 97) aut Diog. L. VII 149 eum librum commemorasset; credibile autem videtur de divinatione illum disseruisse in libro *περὶ προνοίας* quem paulo ante componendos de div. libros Ciceronem curasse sibi mittendum ex epistola apparet ad Atticum missa XIII 8. Quam arte enim inter se iungantur providentia et divinatio, maxime apud Stoicos, supra iam dixi.[1])

Addam amicum Panaetii Scylacem Halicarnassensem consensisse cum illo de repudiando genere Chaldaeorum. Cic. de div. II 87. Alios quoque Pan. adduxit ut dubitarent de divinatione; etenim cum familiaris esset Scipionis et ipse et Polybius, quae hic censuerit de ea re, dubium non est, quin ad Panaetii redeant auctoritatem; dubitatio autem Polybii cognosces his locis: IX 19, 1. X 2, 9. XXXIII 21, 2.[2])

Sequitur ut de recentiore Academia pauca dicam, cuius duos nomino philosophos: Carneadem et Clitomachum.

Carneades autem abhorrens a Stoicorum decretis nullarum omnino rerum divinationem esse ostendit: de div. I 7. II 12; quoniam autem res casui subiectae non possent praesciri, non caveri necessariae, ne prodesse quidem, si esset, divinationem hominibus censet: d. d. II 24; qui Stoicis opponentibus oraculis quibusdam res vere esse significatas, aut res simulatas esse affirmavit aut casu id accidisse; perspicue igitur ab eo tollitur divinatio.

Carneadis acumine Ciceronem in altero libro usum esse demonstraverunt Schiche et Hartfelder: Die Quellen von Cic. zwei Büchern de div. Freiburg 1878. Neque autem Carneades ipse secundum Diog. L. IV 65 scripta ad philosophiam pertinentia composuit, sed discipuli placita eius litteris mandaverunt; quos inter discipulos Clitomachus est, qui teste Diog. L. IV 67 ultra quadrin-

1) Fowler quoque Americanus, qui collegit Panaetii fragmenta, totum illum locum Ciceronis de astrologia tribuit Panaetii operi *περὶ προνοίας*.

2) Censet R. de Scala (Stud. des Polyb. 250) pertinere verba Polybii ad Chrysippi libros *π. ὀνείρων* vel Antipatri *π. μαντικῆς*.

genta volumina scripsit, Carneadem in Academia subsecutus est eiusque potissimum decreta suis scriptionibus illustravit. Schiche ita argumentatur: ex Clitomachi quodam libro Ciceronem sumpsisse summam inde apparet: Carneadis de div. sententias, quae litteris mandatae erant, Cicero in opere suo profert; inter discipulos autem Carneadis, qui commemorantur in Acad. pr. II 16, praeter Clitomachum nullus libros composuit; accedit, quod Clitomachus a Cicerone ipso appellatur II 87. Sed quae fuerit eius libri inscriptio nescimus.

Optimus de his quaestionibus auctor nobis est Cicero, qui ipse de divinatione duos libros scripsit; atque in priore quidem fratrem Quintum facit defendentem Stoicorum rationem; altero ipse partes agit recentiorum Academicorum tollitque omnem divinationem et artificiosum et naturale genus.

---

§ 2.

ALIORVM DE DIVINATIONE ET MAXIME DE SOMNIIS LIBRI.

Nunc cum philosophorum de divinatione placita librosque proferre conatus sim, iam quae alii ante Artemidorum decreverint et scripserint de illa, maxime de somniis, paucis explicabo.

Ordior ab Hippocrate, cuius inter scripta invenitur opusculum *περὶ ἐνυπνίων*; dubitant sane viri docti, num compositum sit ab ipso Hippocrate, tamen etiamsi medicus ille clarissimus auctor non est, temporibus satis antiquis omnes tribuunt.[1]) Medicus certe auctor est, ad medicinam enim omnia fere pertinent: ex insomniis censet morbos imminentes posse cognosci praeceptaque dat, quibus arceantur. Nam cum vigilamus servit anima corpori et dividitur quodammodo sensibus, in somno libera est; insomniorum autem nonnulla sunt divina — *ὁκόσα μὲν οὖν τῶν ἐνυπνίων θεῖά ἐστι καὶ προσημαίνει τινὰ συμβησόμενα ἢ πό-*

1) Petersen, progr. Hamb. 1839 p. 30. Sauppe, de Antiphonte sophista ind. schol. Gott. 1867 p. 18. Zeller I⁴ 633. Susemihl I 869, 166; habetur a multis hic libellus pro continuatione libri de diaeta; similia enim praecepta de alimentis addendis, detrahendis, de medicina gymnastica in eo proponuntur. Cf. Fabr. bibl. gr. II 581 Harl.

λεσιν ἢ τῷ ἰδιώτῃ λαῷ ἢ κακὰ ἢ ἀγαθὰ μὴ δι' αὐτῶν ἁμαρτίην, εἰσὶν οἳ κρίνουσι περὶ τῶν τοιούτων ἀκριβῆ τέχνην ἔχοντες — alia sui cuiusque corporis morbos pronuntiant. Affert deinde multa exempla auctor insomniorum et quid significent demonstrat. — Alii sunt medici qui idem argumentum tractaverunt, Herophilus et Galenus, de quibus cf. Büchsenschütz, Traum und Traumdeutung im Altertum p. 33 sq. Consociatae enim inter se sunt disciplinae divinationis et medicinae: Asclepius praeest et auguriis. (Macrob. Sat. I 20, 4.)

Philo Iudaeus — *περὶ τοῦ θεοπέμπτους εἶναι τοὺς ὀνείρους* — et Tertullianus — de anima cap. 43 sq. — proxume ad Stoicos accedunt.

In eiusdem Tertulliani tractatus cap. 46 commemorantur complures scriptores qui de somniis scripserunt: *quanti autem commentatores et affirmatores in hanc rem: Artemon, Antiphon, Strato, Philochorus, Epicharmus, Serapion, Cratippus, Hermippus, tota saeculi litteratura.* Ex omnibus his scriptis nihil vel pauca tantum servata sunt, ut quod fuerit argumentum pro certo dicere non possimus; ego quidem censeo collegisse illos quam plurima exempla quibus divinationem probarent.

Similis fere generis fuisse puto Polemaeneti *βίβλους* quas Isocrates appellat Aegin. 5: (*Θράσυλλος*) *ξένος δὲ Πολεμαινέτῳ τῷ μάντει γενόμενος οὕτως οἰκείως διετέθη πρὸς αὐτόν, ὥστ' ἀποθνήσκων ἐκεῖνος τὰς βίβλους τὰς περὶ τῆς μαντικῆς αὐτῷ κατέλιπεν.* Vrgendum esse mihi videtur *τῷ μάντει*; Polemaenetus igitur vates exemplis collectis praecepta dedisse videtur ad *μαντικὴν* pertinentia.[1]) Illis enim temporibus — vixisse autem ex illo loco apparet Polem. temporibus Isocratis, Platonis, sophistarum — de omnibus fere artibus, de agricultura, de re coquinaria, de medicina talia edebantur praecepta (*τέχναι*).

Philochori a Tert. laudati restant fragmenta; scripsit ille praeter Atthidem *περὶ μαντικῆς δ'*; quibus de divinatione libris collegit antiqua oracula et vaticinia, explicavit diversa divinationis genera: e ventriloquis frg. 192, e signis, quae flamma victimarum in ara concrematarum dabat, frg. 197, e symbolis; ipse vatis munere functus est. (Müller, fr. hist. gr. I 384 sq.)

Ceterum cum ad nostram aetatem pervenerint Artemidori libri onirocritici, nimis dolendum non est, quoniam veri est simillimum

1) Wilamowitz, Heracles I 20, 34 vertit: *Formulare für Sprüche und Spruchdeutungen.*

scripta quoque nunc deperdita eiusdem fere fuisse generis; accedit, quod compluribus locis praedicat Art. priorum scriptorum libros diligentissime sibi esse perlectos; id igitur illi videntur egisse, ut somnia quam plurima colligerent, unde rationem constituerent interpretationis (ὀνειροκρισία).[1])

Iam quaestio oritur, qui ratio interpretandi somnia in artis formam transierit; apud Homerum occurrunt ceterorum vates generum, non somniorum[2]); tunc cum sui quisque somnii ipse fuit interpres, facile fieri potuit, ut quod eventurum esse putaret frustra exspectaretur; culpa igitur conferenda erat aut in deos, unde fluxerunt somnia, aut in interpretationem. Atque priore quidem aetate deos invidia vel odio permotos in errorem inducere mortales censebant (cf. Plat. Rep. II 383 A), postea cum sanctiores et in homines benevolentiores existimarent[3]), non iam somnia vel deos, sed interpretationem ut falsam accusabant, aliam petebant. cf. Tert. de an. 46.

Eo igitur modo ars extitit. Sed quas adhibuit regulas τέχνη ὀνειροκριτική? Satis est verisimile artem secutam esse cognatam: oraculorum interpretationem. Vtrumque enim et oraculum et somnium deis debebatur, utrumque obscuritate saepissime fere obrutum erat. Accedit quod temporibus satis antiquis oracula collecta sunt; sed hoc quoque cogitari licet, viam sibi ipsam munivisse; collecta sunt somnia eorumque eventus: ex ea experientia analogiae assumpto auxilio ratio est constituta; ac potissimum observandae erant similitudines (Art. ed. Hercher 120, 7. Aristot. περὶ τῆς καθ' ὕ. μ. cap. 2: τεχνικώτατος δ' ἐστὶν ἐνυπνίων κριτὴς ὅστις δύναται τὰς ὁμοιότητας θεωρεῖν). Vates autem illi ex infimis ordinibus orti vel pauperes (Plut. Arist. 27) in contemptionem fere omnium venerunt (Art. 2, 12) parvamque pecuniam rettulerunt. (Arist. Vesp. 52. Iuv. sat. VI 546. Alciphron ep. III 59.)

1) Vocem ὀνειροκρίτης primus praebet Theophr. char. c. XVI p. 18, 25 Foss: ὅταν ἐνύπνιον ἴδῃ πορεύεσθαι πρὸς τοὺς ὀνειροκρίτας. Theocritus 21, 32 .... οὗτος ἄριστος ἔστιν ὀνειροκρίτας ὁ διδάσκαλός ἐστι παρ' ᾧ νοῦς. Apud Aeschylum in Coeph. v. 32 habemus vocem ὀνειρόμαντις, v. 37 κριταὶ ὀνειράτων; apud Euripidem in Hec. 709: οἶσθ' ὀνειρόφρων φράσαι, apud Aristophanem in vespis ὑποκρίνομαι v. 53.

2) ὀνειροπόλος Il. I 63. V 149 cf. Schol. V 149.

3) Deos non mentiri sophistarum aetate existimaverunt. Cuius de deis opinionis exemplum praebet Hippias, qui ut a Iove fraudis culpam reiceret, locum quendam Homeri (Il. II 15) accentu transposito — δίδομεν — διδόμεν mutavit. Cf. Wolf, prol. p. 168: impium enim putabatur, Iovem plane id promittere, quod eventurum non esset.

Floruerunt hac arte inter omnes Telmesses. (Clem. Alex. Str. I 16, 74. Tert. de an. cap. 46.) Quanta autem fides habita sit somniis optume intellegitur, ut omittam scriptorum testimonia, ex oraculis illis Trophonii Amphiarai ceterorum, de quibus conferas Wolf, Kl. Schriften, Halle 1802, p. 379 sq. Welcker, Kl. Schr. III 89 sq. Rohde, Psyche p. 111, et ex permultis titulis nobis servatis, qui docent saepissume aras exempli causa vel statuas dedicatas esse somniorum monitu aut gratias deis reddendi causa ob somnium immissum.

Itaque cum magna superstitio omnium animos teneret, mirum non est, quod tam multi de interpretandis somniis libros composuerunt; ex eis autem scriptis unum ad nostram pervenit aetatem, dico Artemidori Daldiani onirocritica; liceat mihi nunc de scriptore opere ratione philosophia dicere.

---

§ 3.

DE ARTEMIDORO DALDIANO LIBRORVM ONIROCRITICORVM AVCTORE.

Non multa ex antiquitate traduntur nobis de Artemidoro; duobus commemoratur locis in Philopatride[1]) libello Luciano falso tributo et apud Suidam. Phil. 21: ἦν δ' ἐγὼ κατὰ μὲν τὰ Ἀριστάνδρου καὶ Ἀρτεμιδώρου· οὐ καλῶς ἀποβήσονται ταῦτά γε τὰ ἐνύπνια 22: κατὰ Ἀρίστανδρον τὸν Τελμισέα καὶ Ἀρτεμίδωρον τὸν Ἐφέσιον. Suidas: Ἀ. Δαλδιανός· πόλις δέ ἐστι Λυδίας ἡ Δάλδις· φιλόσοφος. ἔγραψεν ὀνειροκριτικὰ ἐν βιβλίοις δ', οἰωνοσκοπικὰ καὶ χειροσκοπικά. Quibus e memoriis cum certi quidquam de aetate Artemidori enucleari non possit, ad scriptoris libros accedamus unde hauriamus certiora. Atque magni momenti sunt hi loci: I cap. 26. 64. IV 22. IV 2. Primi libri locis p. 27, 13. 58, 23 notat cursorem quendam et citharistam, quos ipse noverit, interfuisse ludis ab Antonino Pio in honorem Hadriani institutis; sunt autem instituti a. p. Chr. n. 139. Dein in libri IV cap. 22 p. 215, 10 occurrit nobis Φρόντων ὁ ἀρθριτικός, qui mortuus est non ante a. 175. In eiusdem libri cap. II 205, 9 memoratur Ἀριστείδης ὁ νομικός qui circa annum 190

1) Postremae antiquitatis videtur esse cf. Schmid, Atticismus I 225.

Smyrnae vita excessit: iam obiisse diem supremum aliquanto ante editum opus, satis apparet ex illo loco. Itaque liber IV ante annum 190 scriptus non est; vixit igitur A. saeculi alterius altero dimidio. Alia testimonia attulit Reiffius in praefatione editionis suae p. VII unde demonstraret vitam eius litterariam non tam in Antonini Pii quam Antonini philosophi eiusque successoris Commodi tempora cadere. — Patria non erat Daldis, id quod concludi potest ex nomine *Ἀ. ὁ Δαλδιανός*, sed Ephesus et eam ob causam *Δαλδιανὸν* sibi cognomen assumpsit, ut illam urbem Lydiae unde mater orta erat, clariorem redderet etiamtunc tenebris obrutam gratiasque ageret (*θρεπτήρια ἀποδίδωμι*), cum Ephesus clarorum virorum satis magnum numerum iam tulisset. Cf. Art. 196, 18 sq.

De studiis Artemidori a Suida certiores facti sumus, scripsisse eum praeter libros onirocriticos alia duo opera *οἰωνοσκοπικὰ* et *χειροσκοπικά*, quae non iam exstant; sed in ipsis libris nobis servatis occurrunt verba quibus priora respicit scripta A. ut in fine tertii libri 196, 20: *ὥσπερ πολλὰ τῶν ἤδη εἰς ἄλλας πραγματείας πεποιημένων μοι βιβλίων.* — Ipse quoque[1]) Apollinis monitu ad componendum hoc opus onirocriticum adductus est; in fine enim alterius libri de opere suo verba faciens adhortatur lectores ne quid detraherent neve apponerent eis quae ipse conscripsisset: (*νομίζοντες*) *θεὸν ἐπόπτην καὶ φύλακα πάντων τὸν Ἀπόλλωνα, ᾧ πειθόμενος ἐγὼ πατρῴῳ ὄντι θεῷ εἰς τήνδε τὴν πραγματείαν παρῆλθον πολλάκις με προτρεψαμένῳ μάλιστα δὲ νῦν ἐναργῶς ἐπιστάντι μοι, ἡνίκα σοι ἐγνωρίσθην, καὶ μονονουχὶ κελεύσαντι ταῦτα συγγράψαι.* Ex verbis quae dein secuntur: *καὶ γὰρ εἶναί τινα Λυδοῖς προξενίαν πρὸς Φοίνικας οἱ τὰ πάτρια ἡμῖν ἐξηγούμενοί φασιν* aliud conclusit Kraussius in praefatione versionis suae (Wien 1881): sunt enim missi libri tres ad Cassium quendam Maximum, qui quis fuerit, diu est dubitatum: verisimile autem videtur, quod consuetudinem ibi familiarem inter Lydos et Phoenices laudat, cum ipse se vocaret Lydum, Cassium Maximum fuisse Phoenicem. Quem unum eundemque esse atque Maximum Tyrium Otto Hirschfeld putavit[2]), in quem optime quadrant quae praedicat A. de Cassio suo Maximo: p. 2, 27 *πρὸς σὲ τὸν οὕτω μὲν δεινὸν εἰπεῖν ὡς οὔπω τις εἰς ἀνθρώπους τῶν Ἑλλήνων παρῆλθεν, οὕτω δὲ*

1) Plinius ep. III 5. Cassius Dio LXXII 23.
2) Cf. Krauss p. VIII. IX. Fabr. bibl. gr. Harl. V 262, v.

συνετὸν ὡς .... p. 169, 1: *ἐπειδή, K. M, ἀποβλέψας εἰς τὸ μεγαλεῖον τῆς σῆς σοφίας προετράπην πραγματείαν συγγράψαι.*

Quinque autem libros continet Artemidori opus, quorum tres primos, ut modo dixi, misit ad Cassium Maximum, duos ad filium suum. Atque in libris quidem primo atque altero certam rationem sequitur, quam se esse secuturum promittit l. I cap. 10. Haec autem est eius ratio ut quid quaque re significetur demonstret et quantum possit, argumentis dein exemplis confirmare studeat; ceterum hac utitur distributione et divisione, ut vitam hominum studia negotia persequatur; (197, 8) primum igitur interpretatur ea somnia quae pertinent ad *γένεσιν* (*γεννᾶσθαι*) deinde pervenit ad *ἀνατρέφεσθαι* tum ad *διδασκαλίαν*, ad *παντοδαπὰ ἔργα καὶ ἐπιτηδεύματα*. Ab hominum igitur vita negotiisque profectus materiem suam in ordine quodam rationali constituit; exempli causa de venatione loquens adducitur ut somnia interpretetur quae pertinent ad animalia quae sunt in terra et aere, piscationem autem tractans de piscibus verba facit, a cultu deorum proficiscitur ad ipsos deos. — Atque in singulis partibus hanc init viam: eadem — inquit — non significant omnibus eadem (IV c. 66. 67) contra magni est momenti, quod sit cuiusque negotium, qui mores; itaque singulas cuiusque rei notas atque propria ad singulos hominum ordines vel condiciones transfert — *οὐδὲν γὰρ ἄλλο ἐστὶν ὀνειροκρισία ἢ ὁμοίου παράθεσις*; exemplo mihi liceat accuratius hoc exponere: cf. l. I cap. 26. Oculorum notae hae sunt:

1) videmus eis lucemque haurimus,
2) cari nobis sunt,
3) gemini inter se sunt.

Si somniamus nos oculis non satis prospicere, significatur nos fore consilii inopes, notaque prima — videre — hic adhibetur: etenim ut ei, quorum conspectus in proximo deficit, non longe provident, ita consilii quoque inopes non ea vident consilia quae facillime capi possunt; respicit A. hominem ipsum, non certam condicionem vel ordinem vel mores.

Ei autem, qui liberos habet, significatur eodem somnio futurum esse, ut in morbum illi incidant; hic adhibetur altera nota: cari sunt; etenim ut oculi nobis cari sunt, ita liberi.

Caecum esse somniare significat germanos et parentes morituros esse, illi quod oculi quoque inter se germani sunt (nota 3), hi quod per eos lucem hausimus vitae, ut per oculos; (n. 1) et respicit hominem ut gentilem.

Optimum porro exemplum exstat in alterius libri cap. 53. — Hac

igitur ratione saepissime interpretatur A. somnia; alia proficiscitur ab etymologia verborumque similitudine, de qua infra accuratius dicendum erit. Cf. 248, 16. 101, 9. 102, 1. 112, 26. Hoc quoque semper praedicat, bonum significari eis somniis, quibus res secundum ordinem, *κατὰ φύσιν* videntur. 19, 24 (*παῖδας—παιδικόν*) 20, 19 (*τὰ παρὰ τὴν ἡλικίαν μοχθηρά*) 22, 9 (*ἔθος ἐστίν*) 46, 8. 48, 9. 58, 4. 68, 8. 70, 2. 71, 24. 85, 27. 90, 6. 9, 19. 15, 2. Neque autem omnia interpretatur sed nonnulla tantum somnia; analogia in cetera vult utantur lectores: 105, 18. 147, 5. 199, 6 sq.

A. libris primo atque altero pauca esse omissa ratus tertium addidit, quo reliqua complecteretur; quae cum ita sint, mirum non est, quod certa ratio omnino desideratur; etenim quaecunque in mentem ei venerunt, nullo certo ordine usus notavit; *ἰδίᾳ καὶ κατὰ μόνας ἕκαστον τῶν παραλελειμμένων σποράδην καὶ εἰς οὐ συνημμένα κεφάλαια συναγαγὼν τοῦτό σοι τὸ βιβλίον ἐποίησα, ὡς ἂν μή τις ἀνθρώπων πάροδον καὶ ἐπιβάθραν τοῦ συγγράφειν τι τοιοῦτον ἐφεύρῃ* 169, 11. Appellatur autem ab ipso auctore duobus locis *φιλάληθες ἢ ἐνόδιον* 179, 24. 198, 8. Sed ne tres quidem libros satis habebat composuisse; adiunxit quartum et quintum filio Artemidoro et ipsi somniorum interpreti. Ex quarti libri praefatione cognoscimus qua de causa ad eum accesserit conscribendum; nonnulli enim ei vitio verterant, quod multa quae digna essent tractatione, prorsus omisisset 198, 11 sq. Itaque ut filius adversariis posset resistere omniaque interpretari somnia, quartum addidit librum eodemque ordine usus est, quo in libris primo et altero; monet autem filium ne cum quoquam alio haec communicaret, ut omnes superaret aut ne quoquam inferior esset; re vera uni filio librum esse scriptum inde quoque apparet ex cap. 23 l. IV; suadet enim filio ut utatur anagrammate, quo sapientior videretur consulentibus, dissuadet ne pro ipso utatur, quoniam periculum sit ne eo decipiatur. — Quintum etiam deinde edidit; pollicetur enim in fine libri quarti somniorum eventus se esse collecturum, quos adhiberet ad confirmandam interpretandi rationem; stetit in hoc promisso; sed quoniam perspicua optimaque complecti voluit librum somnia, aliquantum temporis praetermisit.

Quaerentibus nobis cur hos onirocriticos libros scripserit, ipse respondet amicos se voluisse adiuvare divinationis adversarios refutare 1, 12.

Nunc quoniam de singulis libris eorumque argumento dixi-

mus, anquirendum nobis videtur, unde materiem omnem hauserit. Audiamus quae ipse proferat: in praefatione primi libri 2, 10 confitetur omnes se legisse libros onirocriticos potissimumque experientia et observatione usum sibi comparasse cum totam per vitam huic onirocriticae arti studuerit 167, 19. Et experientia semper praedicatur, semper semperque urget observasse se illa quae scriberet. Consuetudinem porro inierat cum vatibus spretis 2, 13, itinera in urbes Asiae et Italiae, in insulas fecerat, ut somnia quam plurima audiret eventusque cognosceret 2, 16. 253, 10. Accedit, quod ipse interpretandis somniis studebat et inde magnam hausit experientiam. (*πεῖρα. τηρεῖν* 34, 7. 37, 6. 40, 5. 41, 16. 43, 21. 49, 9. 55, 6. 61, 8. 74, 26. 78, 15. 96, 3. 100, 6. 101, 23. 102, 20. 103, 18. 111, 12. 118, 2. 121, 25. 128, 13. 140, 18. 151, 3. 157, 22. 167, 11. 18. 20. 179, 17. 188, 1. 197, 12. 212, 11.) Qua in re saepe factum est ut id, quod ipse expertus esset, discreparet ab eis, quae ceteri statuebant: neque tamen ceteros sequebatur, sed pluris semper aestimabat suam observationem.

Legit igitur, ut modo commemoravi, eorum qui antea scripserunt de hoc argumento libros 2, 11. Haud pigeat, quae censuerit de eis paucis explicare.

P. 2, 5 vituperat eos, qui veterum placita non intellegentes ipsorum additamentis in peius mutaverunt aut ab aliis materiem in sua scripta transtulerunt, observatione prorsus neglecta. P. 84, 5sq. docet magni se aestimare *τοὺς παλαιούς*; confitetur plurimum iam illos veras edidisse interpretationes (*ἵνα μὴ ἀντιλέγειν ἐπιχειρῶν ψεύδεσθαι ἀναγκάζωμαι*). Neque autem semper cum eis consentit: compluribus locis aliter ipse observavit atque veteres; aliis locis vituperat eos, quod unum alterumve prorsus omiserunt 45, 22. 76, 8, aliis gloriatur, quae illi ut semina sparsissent, se uberiora fecisse 197, 14. Quae cum ita sint, ipsum multo eis esse superiorem saepenumero contendit suosque libros ceterorum aliquanto superare 198, 25. 197, 3. 2, 20. Deinde quae censuerit ipse de suo opere, ex illo satis clare apparet loco, quo de patria dixit; sperat enim clarum fore oppidum, quod ipse se vocet Daldianum. Nec non nimiam aestimationem cognosces his locis: 167, 16. 169, 9. 196, 15. 197, 5; ea quoque de causa tam gloriosum se praebet, quod aperte atque haud dubiose omnia exposuisse sibi videtur. 84, 13.

Iam scriptores nonnullos appellat A. quorum libris usus est; omnia enim opera sibi comparavit ad suum componendum; de

quibus nunc, quantum potero, dicam: sunt autem hi.[1]) (Susemihl, I 868.)

Artemon Milesius 5, 18. 148, 23; idem commemoratur apud Fulgentium Myth. I 13 (*at vero amica* — laurus — *Apollinis ob hanc rem vocitata est, quod illi, qui de interpretatione somniorum scripserunt, ut Antiphon, Philochorus et Artemon et Serapion Ascalonites promittant in libris suis, laurum si dormientibus ad caput posueris, vera somnia esse visuros*) et apud Tertullianum (cf. p. 124) nec non invenitur illius nomen in schol. Il. XVI 854: *πόθεν ὁ Πάτροκλος οἶδεν, ὅτι Ἀχιλλεὺς κτενεῖ τὸν Ἕκτορα, ὥσπερ Ἀ. ἀκούσας παρὰ Θέτιδος; ὅτι κατ' Ἀρτέμωνα τὸν Μιλήσιον ἐν τῷ περὶ ὀνείρων, ὅταν ἀθροισθῇ ἡ ψυχὴ ἐξ ὅλου τοῦ σώματος πρὸς τὸ ἐκκριθῆναι μαντικωτάτη γίνεται.* Composuit igitur Artemon librum de somniis et viginti duobus libris contulit multitudinem somniorum maxime ad praecepta Serapidis pertinentium.

In Aristandrum Telmessem incidimus hic locis 31, 5. 216, 14[2]). 217, 16; peritissimus vates in magna apud Alexandrum aestimatione fuit, quem est secutus in Asiam atque saepe somnia interpretatus. Cf. Arrian. II 18. Idem Aristander de ostentis scripsit. Plin. H. N. XVII 25, (38): *qualibus ostentis Aristandri apud Graecos volumen scatet, ne in infinitum abeamus.*

Antipatrum quem commemorat Art. 242, 14 non est verisimile unum eundemque esse atque Antipatrum Tarsensem, Stoicum a Cicerone saepenumero laudatum: cf. p. 121; gladiatorum enim certamina posterioribus temporibus inveteraverunt neque potuit talem somnii interpretationem ferre A. Tarsensis.

Phoebus quoque Antiochensis (5, 19. 93, 26. 230, 23. 242, 21) de somniorum vi atque interpretatione scripsisse multaque collegisse videtur. — De Nicostrato Ephesio 9, 16 nil certi dicere habeo, nisi fuisse auctorem satis clarum, id quod elucet ex Artemidori loco laudato.

Panyasis Halicarnassensis 9, 16. 59, 10. 132, 11 (Susemihl I 868) meminere et Clemens Alexandrinus, Arnobius, Macrobius, Suidas: *Π. Ἁλικαρνασσεὺς νεώτερος, φιλόσοφος, περὶ ὀνείρων βιβλία β'.*[3])

1) Fabr. bibl. gr. V 265.

2) Susemihlio I 873, 182 magis arridet lectio cod. V. *Ἀρίσταρχος*; ego sequor Hercherum.

3) *τερατοσκόπος* appellatur Panyasis poeta a Suida, quod nescio an potius huic tribuendum sit; cf. Antiphon p. 115.

Apollonii Attalensis 34, 15. 179, 19 commemoratur alter liber *τῆς συντάξεως*, quae collectio fuerit somniorum collectorumque interpretatio.

Alexander Myndius[1]) 62, 15. 93, 26. 157, 14 non solum de somniis sed etiam de animalibus (*θηριακά*) scripsit.

De Nicandro 107, 8, Dionysio Heliupolita 157, 15, Apollodoro Telmessi 77, 13 (Susemihl 872) certi quidquam praeter id quod A. praebet dici nequit. — Geminus Tyrius 148, 22 tribus libris somniorum eventus collegit eorum maxime, quae a Serapide immissa sunt, quam rem Demetrius Phalereus 148, 23 Theophrasti atque Menandri discipulus quinque tractavit libris.[2]) Denique Melampodis notatur liber *περὶ τεράτων καὶ σημείων*.

Auctores igitur satis multos Art. appellat, quorum operibus diligenter perlectis, ut ipse dicit, usus est; neque autem possumus contendere hunc aut illum librum potius ab eo adhibitum esse: facile potest credi tunc rationem certam somnia interpretandi exstitisse, quam secuti scriptores libros composuerunt, eamque rationem unus ab altero excepit nihil novi addens; itaque etiamsi eandem interpretationem atque apud A. apud alium quendam invenimus, falsum mihi videtur affirmare hoc potissimum libro usum esse A.; sed satis habeamus dicere eis temporibus eam esse usitatam interpretationem: accedit quod nullum fere ad nos pervenit de hac materie opus. Hippocratis sane in libro similes nobis occurrunt interpretationes atque Artemidori[3]), dubium tamen videtur, num perlegerit id opus aut perlectum adhibuerit, quoniam ille auctor de universa materie sententiam prorsus aliam tulit atque Art. Hippocrates enim medicus est somniisque corporis statum significari morbosque praenuntiari censet; A. somniorum vim multo maiorem esse neque ad morbos tantum pertinere putat.

1) Cuius e libro complura hausisse Artemidorum docet Oder, Rh. Mus. 1890 p. 637.

2) Susemihl negat I 875, 188.

3) Exempli causa consentiunt:

	Hippocrates ed. Kühn. vol. II.	Art.
p. 9:	*ὅτι δ᾽ ἂν μέλαν ᾖ καὶ μὴ καθαρὸν μηδὲ ἀφανὲς νοῦσον σημαίνει οὔτε διὰ πλησμονὴν οὔτε διὰ κένωσιν ἀλλ᾽ ἔξωθεν ἐπαγωγῆς.*	134, 26 πήρωσις.
„	*εἰ δὲ δοκοίη ὕεσθαι ὕδατι μαλθακῷ, ἐν εὐδίῃ καὶ μὴ σφόδρα βρέχεσθαι μηδὲ δεινῶς χειμάζειν, ἀγαθόν.*	91, 19
	κολυμβῆν ἐν λίμνῃ ἢ θαλάσσῃ σημαίνει οὐκ ἀγαθόν.	122, 26
p. 13:	*ἐσθῆτα λευκὴν ἐνδεδύσθαι ἀγαθόν*	86, 23

et multa alia.

Quaesiverit quispiam unde praesto fuerint ei tot somniorum eventus; contulit eos ipse experientia atque observatione: cf. p. 253. Sane multa somnia apud alios inveniuntur, sed ne inde quidem potest quidquam concludi; etenim apud priorum quoque temporum scriptores nonnullos eadem leguntur neque efficitur inde, unum ex altero libros exscripsisse; sed illis temporibus talia somnia omnibus nota fuisse videntur (cf. narrationem de Simonide et de duobus Arcadibus: Cic. d. d. I 56. II 135) nec scivisse singuli, apud quem inveniantur, id quod hac quoque aetate saepissime fit.

Magis delectaverit quaesivisse, quam philosophorum sectam secutus sit Artemidorus. Forsitan dubitet quispiam num putandus sit philosophus ille, cuius opus nostra quidem aetate perridiculum videtur ineptiis atque superstitione. Neque tamen est tam ineptus liber nec nimis superstitiosus ut eis temporibus quibus scriptus est. Assentiri debemus Ludovico Friedländer (Sittengesch. III^5 536), qui haec docet: *Das Buch setzt einen gebildeten Leserkreis voraus, der eben solche Meinungen über die Divination hatte, wie A.; je weniger dies Buch auch nur eine Spur von eigentlicher Mystik und Phantasterei zeigt, je consequenter, verständiger und methodischer es ist, desto schlagender beweist es, wie wenig in jener Zeit auch Nüchternheit und selbst ein gewisser Rationalismus den Glauben an eine fort und fort in Wundern sich offenbarende Vorsehung der Götter ausschloss.* Accedit quod Suidas eum vocat *φιλόσοφον.*[1]) Ac si quis contendet, errasse in ea re Suidam et alium respexisse Artemidorum philosophum (Plin. ep. III 11), remittam eum ad locum Suidae supra laudatum: *Πανύασις Ἁλ. νεώτερος, φιλόσοφος, περὶ ὀνείρων βιβλία β'*, unde cognoscat librorum onirocriticorum auctorem facile potuisse in philosophiam quoque incumbere. Aliud argumentum hoc habeo: misit A. libros primum alterum tertium ad Maximum Tyrium philosophum, cuius in intima familiaritate fuisse videtur. Quid? philosophum cum vaniloquo homine consuetudinem habuisse censes? — Iam ex ipsius libris cognoscamus, quid A. de philosophis censuerit; sunt autem hi loci, unde eius placita intellegemus:

P. 257, 14: *φιλοσοφεῖν* et *φρονεῖν* (*φρόνησις*) ut inter se connexa et cohaerentia commemorat (133, 13).

1) Suidas sapientiae professoribus sectae nomen addere solet, eos qui tales magistros audiverunt, neque autem totos philosophiae se dederunt, mere *φιλοσόφους* vocat, ut Alcibiadem et Dionysium Syracusanorum tyrannum.

P. 271, 16 sq. laudat τὴν εὐέπειαν τῆς σοφίας et τὸν πορισμόν.

P. 25, 26: Vt asinus aures tarde movet, ita philosophus, nisi diu secum reputavit, non cedit monentibus vel suadentibus (cf. Krauss p. 33).

P. 125, 22: φιλόσοφος καὶ μάντις; attribuit philosophis et vatibus mentem sanam, atque, id quod summi mihi momenti videtur, arte inter se illos coniungit; cf. p. 133, 6. 145, 26.

P. 131, 26: praedicat amplitudinem scientiarum, quibus student philosophi.

P. 141, 30: bene de philosophis censuisse videtur, ut quos commemorat una cum ἀνθρώποις κατὰ νόμον ζῶσι καὶ μετρίοις.

Ex locis igitur nunc allatis Artemidorum cum philosophos haud parvi aestimasse apparet, tum censuisse, vates et philosophos societate quadam inter se esse connexos. Quae cum ita sint, cum ipse vatis munere functus sit, illam certe dubitationem rescidisse mihi videor, num A. quod vates fuerit, philosophus putandus sit. Addo quod toto opere ostendit litteris atque artibus se esse imbutum, (cf. Art. ed. Reiff. p. V) philosophorum quoque scripta perlegisse (13, 14) denique ut philosophum instructum fuisse. Inquirit enim illorum libros, qui antea eandem tractaverant materiem (7,10.13. 57, 18. 143, 15. 154, 18. 157 cap. 66. 41, 4. 93, 4. 19. 111, 12. 197, 13 alii multi loci) atque suam sententiam ex experientia haustam semper priorum placitis apponit; hoc autem ipsum sapientis esse videtur non acquiescere in eis, quae alii censuerunt, sed quod ipse invenerit, id inprimis, etsi a ceteris aberret, pronuntiare; unde verum certissime invenietur; sic p. 6, 12 καθολικὸν λόγον i. e. communem sententiam falsam esse docet et ipsius observatione prioribus obsistit. Acerrime initio libri I p. 2, 6 invectus in scriptores priores, qua ratione illi, qua ipse libros composuerint docet; accedit quod omnia ad id tempus opera onirocritica scripta perlegit, quamvis magnas in difficultates incurrerit in illis investigandis; quin etiam cum hominibus a ceteris minimi aestimatis societatem iniit, ut ab iis in opere componendo iuvaretur. Itaque quoniam tanta cum diligentia materiem collegit, quoniam tanta diligentia in scribendis libris usus est, nemo dubitabit, quin a studio doctrinae alienus non fuerit. — Porro doctum illum fuisse inde quoque apparet, quod et totam materiem et singulas partes iterum atque iterum subtiliter disponit (cf. Cic. Ac. pr. II 42. 43). Neque secutus est in divisione ceteros sed ipse invenit novam rationem (cf. l. I cap. 10). Neque solum de

somniis somniorumque interpretatione scribere, sed etiam causas cognoscere — quantum potest — cognitasque explicare in animo habet. Quid? philosophus videtur non fuisse, quod verum tanti aestimat neque aliud pronuntiaturum se esse nisi illud promittit? 105, 21. 253, 16. 167, 16: ... *ἴστω ὅτι εὑρεσιλογεῖν μὲν καὶ πιθανεύεσθαι κἀγὼ πάνυ ἱκανὸς ἦν ἀλλ' οὐ θεατροκοπίας καὶ τὰ τοῖς λογεμπόροις ἀρέσκοντά ποτε μετῆλθον, ἀλλ' ἀεὶ τὴν πεῖραν μάρτυρα καὶ κανόνα τῶν ἐμῶν λόγων ἐπιβοῶμαι.* — Libros igitur onirocriticos ut ad suum opus pertinentes legit. Quid? alios non cognovit? Sane in veteribus scriptis studiose et multum volutatus est; saepe enim citat: Homerum 1, 3. 4, 7. 101, 4. 17. 261, 11, Pindarum 94, 13. 203, 17, Hesiodum 238, 23, Euripidem 97, 25, Lycophronem 241, 14, Menandrum 89, 5. 105, 8, Theognidem 60, 8, Xenophontem 60, 2, Heraclidem Ponticum 241, 14, Aristotelem 108, 11. 13, 14, Parthenium 241, 15, *τοὺς περὶ μεταμορφώσεων μυθολογήσαντας* 103, 2.

Fabulas quoque de deis et heroibus optime novit easque semper adhibet ad somnia interpretanda: 119, 5. 25. 137, 2. 142, 30. 144, 3. 145, 4. 14. 175, 22. 157, 13. 225, 11. 227, 3. 228, 26. 229, 19. 230, 1. 241, 8. 14; porro artibus institutus fuisse videtur ex p. 112, 14. 141, 25, optimeque historia naturali, id quod apparet ex l. II c. 14.

Quae cum ita sint, cum A. auctor satis doctus litterisque instructus putandus sit, quaeritur num uni alterive philosophorum sectae attribui possit. Atque ego quidem censeo, si nobis occurrant in libris illius legendis complura, quae in certam scholam cadant, ab ea Artemidorum stetisse vel eius studiis imbutum fuisse, licere nobis contendere. Neque autem omnes eius sectae sententias apud eum inveniemus, id quod elucet ex ipsa materie, quam tractat; contra acquiescendum nobis esse censeo in quamvis paucis notis; etenim in somniis interpretandis qui illi locus datus est philosophiam profiteri? Sunt autem Stoici[1]) quibuscum potissimum congruunt Artemidori placita; itaque quae mihi quadrare videntur in eos, nunc afferam.

Atque primum quidem, quantum potero, enucleabo, quae de somniis ipsis, de origine eorum atque vi universe putet, dein comparabo cum eis quae Stoicis placent. — Haec censet: somnia immissa sunt a deis: *θεόπεμπτα καλοῦμεν τὰ ἐνύπνια τὰ ἀπροσδόκητα* I cap. 6; ipse igitur non iam, ut Aristoteles, dubitat, sintne

1) Cf. Fabr. bibl. gr. Harl. V 260.

θεόπεμπτα insomnia an causa somniandi in ipsis nobis insit 13, 13. 206, 9. Amore autem erga nos adducti dei somniis futura significant, ut qui providere nobis studeant (*πρόνοια*); 214, 11 crimini vertit auctoribus librorum *περὶ συνταγῶν*, quod non simpliciter ea describant remedia, quae a deis hominibus significantur sed ineptiis suis obscurent; illi, inquit, *δοκοῦσί μοι τὴν ἑαυτῶν ἕξιν ἐπιδεικνύειν, ὅτι δύνανται πλάσσειν ὀνείρους μᾶλλον ἢ τὸ τῶν θεῶν φιλάνθρωπον συνιέναι* cf. 214, 10. Ad amorem igitur quo dei semper vera nuntiantes (161, 14) hominum genus amplexi sunt haec remedia refert. Porro *πρόνοια* nobis occurrit p. 1, 6. 146, 3, ubi Providentia dea inducitur.

Id quoque huc pertinet, quod discernitur inter somnia allegorica et theorematica, 4, 9. 201, 13; haec enim quae futura sint, clare docent, quoniam quae significantur statim accident 201, 13 sq., si igitur symbolis difficilibus uterentur dei, non prae angustiis temporis praecavere possemus 5, 5 sq.; allegorica autem alia aliis significant 4, 18, quae post aliquantum temporis futura sunt (5, 1), quo tempore intellegemus ratione atque cogitatione usi, quaenam eis signis significentur. 5, 3. A deis autem cum nobis veniant somnia petere debemus, ut mittant — neque tamen *πρὸς βίαν* 206, 3 — et obsecutis gratias agere. 205, 24 sq. 206, 4. 206, 21.

Iam qui particeps sit *ἡ ψυχὴ* divinationis, non satis clarum fuisse videtur Artemidoro: 206, 21: *ὅπως χρὴ προαγορεύειν ἐπιτρεπτέον αὐτῷ τῷ θεῷ ἢ τῇ ἑαυτοῦ ψυχῇ*. 206, 9: *ὁ μὲν γὰρ θεὸς πρὸς τὸ ἀποβησόμενον δίδωσι τοὺς ὀνείρους τῇ ψυχῇ τοῦ ὁρῶντος φύσει μαντικῇ οὔσῃ ἢ εἴ τι ἄλλο ἐστὶν αἴτιον τοῦ ὀνειρώσσειν*; participem autem esse pro certo est; audiamus quid aliis locis censeat: 4, 25 *ὄνειρός ἐστι κίνησις ἢ πλάσις ψυχῆς πολυσχήμων σημαντικὴ τῶν ἐσομένων ἀγαθῶν ἢ κακῶν*. 238, 18: *ὅθεν ἄν τις καὶ μάλιστα καταμάθοι ὅτι τῆς ψυχῆς ἔργα εἰσὶν οἱ ὄνειροι καὶ ὅτι οὐχ ὑπό τινος ἔξωθεν γίνονται.* Cf. 8, 10. 201, 7. 219, 3. 223, 26. 261, 20. Itaque si anima somniantium particeps est somniorum in interpretatione respicienda sunt interpreti natura moresque consulentis. 15, 5 sq. 237, 19.

Somnia igitur alia deus immittit, quae anima excipit tantum, alia ipsa fingit.

Porro discernit A. inter inania somnia et futura significantia. Inania sunt *ἐνύπνια καὶ φαντάσματα*; *ἐνύπνια* sunt *σημαντικὰ τῶν ὄντων* 3, 7, *ἀναμνήσεις* eorum quae facere vel cogitare solemus, quam ob rem nihil significant *τῶν ἐσομένων* 73, 24 sq. 91, 27. 238, 3; oritur autem insomnium ex bruta cupiditate, sa-

tietate, cibi inopia. 199, 16: το μὲν ἀσήμαντον καὶ οὐδενος προαγορευτικὸν ἀλλ' ἐν μόνῳ τῷ ὕπνῳ τὴν δύναμιν ἔχον, γινόμενον δὲ ἐξ ἐπιθυμίας ἀλόγου ἢ ὑπερβάλλοντος φόβου ἢ πλησμονῆς ἢ ἐνδείας, ἐνύπνιον χρὴ καλεῖν.[1]) Quae cum ita sint, strenui viri et qui sana ratione vitam instituunt talibus carent 200, 3.

Altera species somniorum significat futura — σημαντικός ἐστι τῶν μελλόντων 3, 6 — somniantemque commovet ut faciat quae sibi significentur. (ὁ δὲ ὄνειρος ἐνύπνιόν τε ὢν ἐνεργεῖ ἄγων εἰς ἐπίστασιν προαγορεύσεως τῶν μελλόντων καὶ μεθ' ὕπνον ἐνεργεῖς ἐπάγων τὰς ἐγχειρήσεις ἐγείρειν τε καὶ ὀρείνειν τὴν ψυχὴν πέφυκε, διὰ ταῦτα καὶ τοῦ ὀνόματος αὐτῷ τεθέντος 4, 1 sq . . . 199, 19: καλοῦμεν . . . τὸ δὲ μετὰ τὸν ὕπνον ἐνεργὲς[2]) ὂν καὶ ἀποβησόμενον εἰς ἀγαθὸν ἢ κακὸν ὄνειρον. — Ὄνειροι igitur post somnum quoque vigent: sunt autem vel theorematica vel allegorica (p. 136). Ceterum satis habet A. confirmare esse divinationem in somniis, causam afferre nequit (l. IV cap. 20: πολλὰ γὰρ ἀποβαίνει συνεχῶς ἐνίοις καὶ ὅτι μὲν κατὰ λόγον ἀποβαίνει ἴσμεν ἐκ τοῦ πάντοτε ὁμοίως ἀποβαίνειν· τὰς δὲ αἰτίας, δι' ἃς οὕτως ἀποβαίνει, εὑρεῖν οὐ δυνάμεθα 212, 7).

Nunc quoniam Artemidori placita exposui, cum Stoicis conferam, quibuscum multum conveniunt.

Πλάσιν, quam vocat A., eandem fere esse puto atque τύπωσιν, quae notio invehitur in Stoicorum libris. Etenim Zeno visum dixerat impressionem[3]) in anima — τύπωσιν ἐν ψυχῇ. Diog. L. VII 45; quod excepit Cleanthes qui credidit eam τύπωσιν esse quasi impressionem anuli cerae impressi (Κλ. μὲν γὰρ ἤκουσε τὴν τύπωσιν κατὰ εἰσοχήν τε καὶ ἐξοχὴν ὥσπερ καὶ διὰ τῶν δακτυλίων γινομένην τοῦ κηροῦ τύπωσιν); ceterum recessit ab eis Chrysippus: φαντασία ἐστὶν ἑτεροίωσις ψυχῆς.

1) Simile est placitum Platonis (p. 114) et Clementis Alexandrini paed. 82.

2) Hercher scripsit ἐναργές (perspicuum); mihi magis arridet Laurentiani codicis lectio ἐνεργές; nam priore loco 4, 1 sq. opponuntur inter se ἐνύπνια, quae solum in somniando vigent et ὄνειροι, quorum vis diutius pollet; et ter utitur A. voce ἐνεργεῖν. Hic eadem habet genera ac respondent inter se ἐνύπνιον ἀσήμαντον καὶ οὐδενὸς προαγορευτικὸν ἀλλ' ἐν μόνῳ τῷ ὕπνῳ τὴν δύναμιν ἔχον et ὄνειρος . . . ἐνεργὲς καὶ ἀποβησόμενον. Neque enim hoc sibi vult ἀσήμαντον, non manifestum esse insomnium — cui notioni optime opponeretur ἐναργές (cf. Lucian. somnium cap. 5) — sed nihil significare.

3) cf. Plato Theaet. 191 C. Zeller IIIa³ 72, 3.

Deinde Stoici quoque, ut iam supra dixi, ad deorum erga homines amorem atque providentiam rettulerunt somnia atque deorum appulsu somniare homines censuerunt: Cic. de div. I 64: *Posidonius tribus modis censet deorum appulsu homines somniare: uno quod provideat animus ipse per sese, quippe qui deorum cognatione teneatur, altero quod plenus aër sit immortalium animorum, in quibus tamquam insignitae notae veritatis appareant, tertio quod ipsi di cum dormientibus colloquantur.* Tres illi modi etsi apud Artemidorum non sunt, tamen illos nosse mihi videtur is, quem modo commemoravi non satis clare locutum esse de eo, quantum particeps sit anima divinationis; ibi autem unum modum affert: 206, 9: *ὁ θεὸς δίδωσι τοὺς ὀνείρους τῇ ψυχῇ τοῦ ὁρῶντος φύσει μαντικῇ οὔσῃ, ἢ εἴ τι ἄλλο ἐστὶν αἴτιον τοῦ ὀνειρώσσειν.* Negat igitur, hoc uno modo esse divinationem, sed aliis quoque causis somniare nos censet somniantesque futura praenoscere. Non pugnat cum veri similitudine ceteros Stoicorum modos hic respici.

Deinde hoc quoque Stoicorum decretum est, quod putant magni esse momenti ad somniandum corporis statum. Cic. de div. I 60: *Quae* (vera somnia) *multo plura evenirent, si ad quietem integri iremus, nunc onusti cibo et vino perturbata et confusa cernimus.* Respicit Q. Cicero locum Platonis cui eadem placent.[1])

1) Consentit cum Platone Synesius (Synesius de insomniis. Paris 1631) in hac re; etenim eos tantummodo, qui virtute vel per prudentiam vel per consuetudinem acquisita vitam instituunt, diviniora visuros esse somnia censet; ducit autem insomnia ex compluribus fontibus: ab idolis (p. 151 D: *a rebus enim futuris idola obumbrata imaginesque obscurae procedunt, nimirum non ut a praesentibus manifesta*) a deo; (151 A: *animae ita se habenti* — i. e. otium agenti a sensuum colluvione forensium animae naturas undique inferentium alienas — *Deus mundanus se prorsus adiungit, propterea quod animae ipsius natura ex eodem simul atque ille profluxit; quae somniorum genera diviniora censentur*); summi vero Synesio momenti est spiritus phantasticus, quem quodammodo praeparare debent, qui vera somniaturi sunt, adeoque studere, ut hic nobis divinandi vi sit praeditus, quaedam est pietatis exercitatio. (145 A). Hic spiritus phantasticus ut speculum excipit ostenditque somnia. Educatio autem eius optima est tum per philosophiae studium perturbatos sedare animi motus, tum per moderatum temperatumque victum. —

Videmus igitur inter Synesium et Platonem vel Stoicos nonnulla convenire; ad Artemidori autem philosophiam nobis constituendam nil novi contulisse videtur; omnia enim, quaecumque congruunt cum A. decretis, iam apud Stoicos invenimus; contra phantasticus ille spiritus plane abhorret a nostro scriptore; accedunt alia, quae demonstrant a

Pol. 571 E sq. (cf. p. 114). Art. autem φαντασμάτων καὶ ἐνυπνίων quae somnia nihil significent easdem causas esse pronuntiat (cf. p. 136). — Porro quod confirmat esse divinationem in somniis, neque autem causam dicere vult aut nequit, hoc optime potest conferri cum Stoicis: Cic. d. d. I 15: *Non quaero, cur, quoniam, quid eveniat, intellego; hoc sum contentus, quod etiamsi, cur quidque eveniat ignorem, quid fiat intellego.* Vtrique igitur experientiae (πεῖρα) auctoritate nituntur.

Neque omnem divinationem probat A., sed nonnulla genera reicit; cf. p. 161, 20 sq.[1]) 213, 25: id quod Stoicis quoque decretum est: Cic. d. d. I 132: *Nunc illa testabor, non me sortilegos neque eos qui quaestus causa hariolentur, ne psychomantia quidem, quibus Appius*[2]) *amicus tuus uti solebat agnoscere: non habeo denique nauci Marsum augurem, non vicanos haruspices, non de circo astrologos, non Isiacos coniectores, non interpretes somniorum: non enim sunt ii aut scientia aut arte divini.* Ne autem haereamus, quod Stoici *non habeant nauci* interpretes somniorum: eos castigat Cicero, qui quaestus causa fallunt consulentes: vim somniorum certe probant.

Alia Artemidori de somniis placita Aristotelem respicere

Neoplatonicis non stetisse Artemidorum — si Synesii placita toti scholae attribuere nobis licet. Quae enim praedicat Synesius (p. 149 B; cf. Od. XIX 565): *Penelope vero apud Homerum duas somniorum portas inducit affirmatque dimidium esse fallax, quoniam somniorum sapientiam non habebat; si enim artem scite ad haec habuisset, omnia utique per portam corneam traduxisset,* aperte docent persuasum ei fuisse, omnia vera esse somnia; contra A. totum genus ut nil significans excludit (ἐνύπνια). Multo autem gravius, ex mea quidem sententia, argumentum habes in his Synesii verbis: 153 B: *Plerique libros de observantia somniorum eiusmodi multos composuerunt; ego autem haec omnia rideo.* Censet enim Synesius unicuique alia significari eisdem signis; sane Art. quoque monet ne in interpretandis visis sui cuiusque mores, aetas, genus, ordo neglegerentur, tamen magno a Synesio intervallo se distare ipso libros onirocriticos conscribendo ostendit.

1) Ex hoc loco effici potest, non fuisse eum Neopythagoreum: etenim ipsius quidem Pythagorae discipulos antiquorum nonnulli Pythagoricos, horum vero discipulos Pythagoreos, sapientiae denique Pythagoreae aemulos Pythagoristas vocarunt. Si igitur ipse a Pythagoreis stetisset, haud vituperasset τοὺς Πυθαγορίστας. Porro Neopythagorei omnem divinationem ducebant a daemonibus, (Zeller III b[3] 91. 139. 144) id quod haudquaquam in nostrum Artemidorum quadrat; deinde utitur quidem A. numeris ad interpretanda somnia (II 70) neque autem mystice ut Pythagorei.

2) Cf. Teuffel, R. L. G.[5] § 199.

videntur, cuius scripta *περὶ ἐνυπνίων*, *περὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς* perlegit (cf. l. I cap. 6). Ne Aristoteles quidem negat cohaerere quodammodo somnia cum eis quae fiunt, ut aut signa sint eorum aut fortuita — atque ea plurima — aut causae. Atque hoc: causae sunt somnia eorum quae fiunt, optime conferri potest cum genere *ὄνειροι* apud Art. Etenim ut ea quae facere aut cogitare solemus, in somniis videntur, ita e contrario necessarium est, ut plerumque motiones, quae se per somnum offerunt, principia sint eorum, quae interdiu gerimus: Art. 4, 2: *ἐνεργεῖ ὁ ὄνειρος*. Primum genus, signa esse somnia, per se perspicitur. Negat autem Aristoteles maiorem esse vim divinandi quam quae ad morbos ceterasque affectiones quae in corpore perficiendae sunt pertineat, quippe quas motiones dormientes multo acrius intellegamus quam vigilantes. — Quae quamquam cum Artemidori sententiis conveniunt, tamen multo minoris momenti sunt somnia Aristoteli quam huic scriptori. Accedit, quod ille *δαιμόνια* vocat somnia non *θεόπεμπτα*, id quod prorsus discrepat cum Art. Itaque perlegit Aristotelis scripta, probavit nonnulla, alia reiecit. —

Gravissima argumenta consensionis inter Artemidori et Stoicorum placita ex theologia ducenda sunt. Stoicis enim unum fuit numen, diversis autem nominibus ornatum est (Cic. de nat. d. I 40), quae a variis operibus aut muneribus aut virtutibus aut a variis materiae, per quam diffunditur, partibus invenit. (Plut. plac. ph. I 7, 17: *οἱ Στωικοὶ κοινότερον θεὸν ἀποφαίνονται: πῦρ τεχνικὸν ..... καὶ πνεῦμα μὲν διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου, τὰς δὲ προσηγορίας μεταλαμβάνον διὰ τὰς τῆς ὕλης δι' ἧς κεχώρηκε παραλλάξεις*. Zeller IIIa[3] 673, 5.) Haud igitur mirum videbitur, si apud Artemidorum quoque complures nobis occurrent dei; accedit, quod huic omnes, quoscunque credidit multitudo, commemorandi erant, etiamsi ipse unum credidit, quoniam de somniis scripsit interpretandis et saepissime somniantibus videbantur dei, qui religione publica ab antiquissimis temporibus traditi sunt; simile enim ipse dicit. 230, 4. Porro proprium est Stoicorum demonstrare singulis deis physicam rationem — *λόγον φυσικόν* — inesse (Zeller III a[3] 323) et fabulas attingere easque physice et mystice exponere (Cic. de nat. d. II 63, III 63, Zeller IIIa[3] 567, 4) qua in re via munita erat ab Antisthene Cynico (cf. Plato, rep. II 378 D. Duemmler, Antisthenica 75); idem apud Artemidorum haud raro inveniemus cf. p. 230, 12.[1])

1) Interpretatione igitur physica usurum se esse clare pronuntiat A., ceterum *περὶ γιγαντομαχίας*, quam his respicit, Cleanthes inter Stoicos

Duas autem divisiones praebet Art. l. II cap. 34, unam quod dividit deos in *αἰσθητοὺς καὶ νοητούς*, alteram in *ὀλυμπίους* vel *αἰθερίους, οὐρανίους ἐπιγείους, θαλασσίους καὶ ποταμίους, χθονίους, τοὺς πέριξ τούτων*. Sed hac una divisione in olympios etc. usus est in perscribenda de deis parte, altera perturbata. Deinde postquam de deis dixit, ad heroes atque daemones accedit cap. 40.

Iam haec divisio in *αἰσθητοὺς* et *νοητούς* id est percipiendos sensibus et ratione, haud multum mihi differre videtur a Stoici cuiusdam de hac re opinione. Dionysius enim, quem Zeller — IIIa[3] 318 — putat fuisse discipulum Posidonii, deos diviserat in tres species: qui in promptu sunt, qui non comparent, facti i. e. heroes. Quos igitur A. in *αἰσθητοῖς* numerat, hic in eis qui in promptu sunt, quoniam visus potissimum inter sensus ad hoc (*αἰσθάνεσθαι*) pertinet.

Iam ad singulos deos accedamus. *Ἀρτέμιδος* nomen derivatur ab *ἀρτεμές* 132, 16; idem praebet Cornutus p. 65, 18. Strabo XIV 635. (Muenzel, de Apollodori *περὶ θεῶν* libris. Bonn 1883. p. 22 censet hunc Strabonis locum doctam adnotationem docti hominis esse, fortasse descriptum olim ex commentario Homerico.) Cramer, anecd. Paris. III 211.

Apollo apud Artemidorum et *Παιήων* est (133, 5) et *Ἥλιος* 133, 8.[1]) Sane iam apud Homerum uterque nobis Apollo occurrit: est enim deus lucis — *λυκηγενής* — et pestem pellit — *ἀλεξίκακος*. Sed quamquam iam inde ab initio heroicorum tem-

librum composuit, quo eandem interpretandi rationem eum adhibuisse veri est simillimum. Zeller (IIIa[3] 328, 2) suspicatur *Θεομαχία* et *περὶ γιγάντων* unius libri varias esse inscriptiones. — Deinde hoc loco liceat mihi interpretari Artemidori verba: *τοῦτο μὲν γὰρ οἱ παλαιοὶ τοὺς μακρὰν ἀποδημήσαντας εἰς Ἅιδου πεπορεῦσθαι ἔλεγον* e. q. s. p. 153, 5; spectat hic A. ad veteres poetas vel mythographos, quos dicit, si quis procul domo afuisset, transisse ad inferos finxisse; forsitan ex etymologia hoc sibi persuaserit: *ἀειδές*: *Ἅιδης* cf. Corn. de n. d. ed. Lang. 74, 5. Aliis locis *παλαιους* vocat eos qui ante ipsum onirocriticos scripserunt libros, hic eosdem, de quibus Cornutus praedicat: *οὐχ οἱ τυχόντες ἐγένοντο οἱ παλαιοὶ ἀλλὰ καὶ συνιέναι τὴν τοῦ κόσμου φύσιν ἱκανοὶ καὶ πρὸς τὸ διὰ συμβόλων καὶ αἰνιγμάτων φιλοσοφῆσαι περὶ αὐτῆς εὐεπίφοροι*. p. 76, 3.

1) Noli haerere in eo, quod A. dicit *καλεῖται, νενόμισται*, raro *ἐστίν*. Neque enim hoc premitur Apollinem re vera solem esse, contra hoc magni momenti est, notam esse eam sententiam 230, 4. 157, 16. Nam profitetur A. somnia quaedam oriri ex anima dormientium; quae cum ita sint, cum anima ipsa somnia fingat, sane multum valet, quae sint eius notiones et cogitationes. Accedit, quod A. pro certo scit, alios de hac re aliter censere; ea quoque de causa *νενόμισται* etc. scripsisse videtur.

porum Apollo talis videbatur in religione et mythologia, tamen vim eius, quae est vis lucis, dirimere in singulas partes optime quadrat in philosophos, potissimum in Stoicos. Corn. 66, 1: *Ἀ. καὶ Παιήων ἐκλήθη καὶ ἰατρὸς ἔδοξεν εἶναι.* Macrob. sat. I c. 17, 13: *Idem* (Apollo) *auctor est et publicae sospitatis, quam creditur sol animantibus praestare temperie* e. q. s. De Apolline ut sole haec habeo proferre. Corn. 65, 1: *Ἀπόλλων ὁ ἥλιός ἐστιν.* Cic. d. nat. d. II 68. Heraclit, alleg. hom. cap. 7 (Muenzel p. 7): *ἐκεῖνο δὲ ὃ ἐκ τῆς ἡμετέρας εἰκασίας ἀναγκαῖον εἰπεῖν, οὐ παρήσω, δεικνὺς ὅτι καὶ καθ' Ὅμηρον αὐτός ἐστιν Ἀπόλλων καὶ ἥλιος· τοῦτο δὲ εἰ λεπτῶς ἐθέλει σκοπεῖν τις ἐξ ἁπάντων εὑρήσει τῶν ἐπιθέτων γνώριμον.* Secuntur deinde complura Apollinis attributa, quibus Homerum quoque Apollinem et solem unum idemque numen putasse comprobetur. Ceterum iam Plato in Cratylo 405 E sq. Apollinis vim variam praedicat variasque nominis originationes habet, nescio an usus ironia, ut ludat talia vana studia; ibi derivatur nomen Apollinis ab *ἁπλοῦν* i. e. *ἀληθές*, quo nomine vertimur ad *μαντικήν*, deinde ab *ἀεὶ βάλλων* — *Ἀπ. τοξότης* — tum ab *ἀπολούων* — *Ἀπ. ἰατρός* — denique ab *ὁμοπολῶν*, quo delegamur ad musicam.

Nec non de Minerva[1]) consentiunt Art. et Stoici scriptores; appellat enim A. eam *φρόνησιν* (133, 13. 257, 17) idemque habet Cornutus Stoicus 33, 10. Heracl. alleg. hom. ed. Gale: 435, 485 sq. Plato quoque Minervam cum *νῷ* vel *φρονήσει* quodammodo connectit, derivat enim: *Θεονόη* — *Θεονόα* —*Ἠθονόη* — *Ἀθηνᾶ* Crat. 407 A sq. Porro eadem Minerva confertur cum terra. Art. 133, 15: *Καὶ γεωργοῖς ἀγαθή· τὸν γὰρ αὐτὸν τῇ γῇ λόγον ἔχει, ὥς φασιν οἱ φιλόσοφοι.* Neque hoc a Stoicorum sententiis discrepat (Heracl. all. hom. p. 444. Zeller III a[3] 325, 3). Quod A. hic dicit *οἱ φιλόσοφοι* non est neglegendum; etenim quoniam — meo quidem iudicio — soli Stoici hoc habent, quod Minervam ut terram interpretantur, Stoicos hic appellat *τοὺς φιλοσόφους* i. e. philosophos *κατ' ἐξοχήν·* verisimile igitur videtur, ipsum eorum placitis addictum fuisse.

Iam venimus ad *πῦρ αἰθέριον* quod A. numerat in deis olympiis vel aetheriis 130, 21 sq. 92, 12: *περὶ τοῦ πυρὸς διπλῇ τῇ κρίσει χρῆσθαι καλῶς ἔχει, πῇ μὲν ὡς περὶ οὐρανίου καὶ*

1) In eo libro, quem de Minerva scripsit Diogenes Babylonius — Cic. d. n. d. I 41 — partum Iovis ortumque virginis ad physiologiam traduxit; inde cogitari licet et Heraclitum et Cornutum quae de Minerva vel Vulcano proferant sumpsisse.

θείου, πῇ δὲ ὡς περὶ ἐπιγείου καὶ τοῦ ἐν χρήσει. Duo autem sunt Stoicis ignes eique maxime diversi; unus perlucidus et purus, *διαυγὲς καὶ καθαρόν*, alter, aëre permixtus, quem adhibemus in usum vitae: *τὸ ἐν χρήσει καὶ ἀερομιγές*, ut distinguit Cornutus 33, 14. Sic et Balbus Stoicus apud Ciceronem discernit ignem, quem adhibemus ad usum vitae atque victum ab eo, qui corporibus animantium continetur d. n. d. II 40. Stoicis ignis purus et perlucidus — aether — erat Iuppiter, ignis autem, quem usus vitae requirit, erat Vulcanus (Heracl. all. hom. 445). Quod A. accuratius hanc distinctionem non exposuit, mirum non est, quoniam ad ipsius materiem minus pertinebat.

Porro de Libero similia censent Stoici atque noster A., namque etiamsi iam veteres poetae vinum appellaverunt dei nomine, Stoici potissimum hoc urgebant, in deis physicam vim inesse.

Art. 141, 2: (*Διόνυσος*) *ταραχὰς καὶ κινδύνους καὶ ἐπιβουλὰς καὶ περιβοήσεις σημαίνει διὰ τὴν περὶ τὸν θεον ἱστορίαν καὶ διὰ τὸν φυσικὸν λόγον τοῦ Διονύσου.* Quid autem aliud sibi vult *ὁ φυσικὸς λόγος* nisi vinum spectat? Vinum igitur est Liber; cf. Cic. d. nat. d. II 60: *Quidquid magnam utilitatem generi afferret humano, id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur; itaque tum illud, quod erat a deo natum, nomine ipsius dei nuncupabant, ut cum fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum.*[1]) Ceterum Dionysi nomen ducit A. a *διανύειν* (140, 29); tales autem originationes Stoicorum propriae sunt, quae multae cum apud alios tum in Cornuti de deorum natura libro occurrunt. Permultas de Libero invenies in Et. M. Artemidori autem etymologia in Et. M. tribuitur Alexandro cuidam Thasio, nec non praebetur a Cleanthe Stoico: cf. Macr. Sat. I 18, 14: ibi quoque *Διόνυσος* derivatur a *διανύειν*. Quod D. eundem esse atque solem hac re demonstratur, ad etymologiam ipsam nil pertinet. — *Τυγχάνει δὲ ὁ Ἑρμῆς ὁ λόγος ὤν, ὃν ἀπέστειλαν πρὸς ἡμᾶς ἐξ οὐρανοῦ οἱ θεοί, μόνον τὸν ἄνθρωπον τῶν ἐπὶ γῆς ζῴων λογικὸν ποιήσαντες* Corn. 20, 18. Artemidorum quoque censuisse *λόγον* ad Mercurium quodammodo pertinere ex his verbis apparet: *Ἑρμῆς ἀγαθὸς τοῖς ἐπὶ λόγους ὁρμωμένοις.* 141, 19. Sane facillime Mercurius et *λόγος* con-

1) Annotat Schoemann: *Also nur metonymisch, die Gaben nach den Göttern benannt, aber nicht selbst vergöttert.* Sed sunt alii loci unde apparet res ipsas divinas esse habitas. Cic. d. n. d. I 38. II 80; vi igitur, quae in his rebus inest, adducti res ut divinas colebant et nominibus deorum ornabant; cf. Zeller IIIa³ 316.

iungi possunt, quoniam deorum nuntius cultus est. — Ne autem in errorem inducaris hoc loco 43, 4: *τὸ αἰδοῖον ἔοικε ... λόγῳ καὶ παιδείᾳ, ὅτι γονιμώτατον πάντων τὸ αἰδοῖόν ἐστιν, ὥσπερ καὶ ὁ λόγος. Εἶδον δὲ καὶ ἐν Κυλλήνῃ γενόμενος Ἑρμοῦ ἄγαλμα οὐδὲν ἄλλο ἢ αἰδοῖον δεδημιουργημένον λόγῳ τινὶ φυσικῷ.* Nulla hoc loco intercedit inter Mercurium et *λόγον* (sermonem) ratio; sed inde ab *εἶδον δὲ καὶ* iam novum enuntiatum incipit, in quo declarat, inesse in Mercurio rationem quandam naturalem: sed hoc ipsum ad Stoicos spectat.

Tres formae Stoicis erant Veneris. Corn. 46, 4: *οὐρανία ... πάνδημος ... ποντία.* Art. cum eis consentiens haec praebet 142, 9 sq.: *ἡ δὲ οὐρανία τὰ ἐναντία τῇ πανδήμῳ σημαίνει ... Ἀφροδίτη .. ἡ πελαγία* et q. s.[1]) Sane hae formae traditae erant in mythologia; neque enim veri est simile Stoicos novi quidquam attulisse, sed quae confirmarent ex ipso cultu hausisse; satis tamen mirum videtur, quod noster A. in interpretatione somniorum — nec multa de deis dixit — has ipsas formas notat ut Stoici; apparet inde pro certo eum mythologiae studiose se dedisse et, cum haud paucis locis eadem atque Stoici placita proferat, Stoicique, ut supra dixi, enixe operam navarint theologiae atque mythologiae explicandae, nonne videtur verisimile e Stoicorum disciplina, quae censeat, A. hausisse?

Deinde Veneri (*Ἀφροδίτῃ*) ut quae ex Asia, ubi Astarte culta est, in Graeciam migraverit — Curtius, gr. Gesch. I[6] 48 — frugifera quaedam vis inest; cf. Corn. 45, 3: *Ἀ. δέ ἐστιν ἡ συνάγουσα τὸ ἄῤῥεν καὶ τὸ θῆλυ δύναμις.* Similia invenies apud Artemidorum p. 142, 11: *Μάλιστα δὲ ἀγαθὴ πρὸς γάμους καὶ κοινωνίας καὶ πρὸς τέκνων γονήν· συνδυασμῶν γὰρ καὶ ἐπιγόνων ἐστὶν αἰτία· ἀγαθὴ δὲ καὶ γεωργοῖς· φύσις γὰρ καὶ μήτηρ τῶν ὅλων εἶναι νενόμισται.* Zeller III a[3] 332, 8.

Vulcanum ignem esse iam supra dictum est p. 143; nunc ex A. et Cornuto locos huc pertinentes afferam; Art. 142, 28: *Ἥφ. τὰ μὲν αὐτὰ τῷ πυρὶ σημαίνει, ὡς δ' ἐπὶ τὸ πλεῖστον τὰ κρυπτὰ ἐλέγχει καὶ μάλιστα μοιχείας διὰ τὴν περὶ αὐτὸν ἱστορίαν.* Corn. 34, 12 sq.: *Ἥ. δεδεχέναι μυθεύεται τὸν Ἄρην. .... τὸ γὰρ πῦρ ᾧ χρῶνται αἱ τέχναι, συνεργὸν πρὸς τὴν ἀπόδειξιν τῆς φυσικῆς τῶν ἀνθρώπων ἀγχινοίας γενόμενον ὥσπερ κεκρυμμένην αὐτὴν εἰς φῶς προήγαγεν.*

Ἔτι καὶ τὴν Δημήτερα, inquit A., 144, 32, *τῇ γῇ τον*

1) Duas formas novit Plato in convivio, p. 180 D: *οὐρανία — πάνδημος*, et Xenoph. conv. 8, 9.

αὐτὸν ἔχειν λόγον φασὶν οἱ σοφοί[1]);· quae explicatio Artemidoro probata optime convenit cum Cornuto atque Balbo Stoico; Corn. 52, 5. Cic. d. n. d. II 67: *a Graecis* (*mater*) *Δημήτηρ quasi Γημήτηρ nominata est.*· Aug. d. c. d. VII 16.

Neque de Luna, quae quidem aliquid rationis habet cum Venere, dissentiunt A. atque Stoici. Art. 135, 16: *Σελήνη τροφὸς εἶναι νενόμισται.* Cic. d. n. d. II 119. Deinde quod A. pronuntiat: *Σ. ἧττόν ἐστι τοῦ ἡλίου θερμή* 136, 10 (81, 27 *ὑγρὰ οὖσα.* 136, 8: *ἐπεὶ φύσει ἐστὶν ὑγρά*), potuit quidem haurire ex observatione; liceat mihi conferre cum Stoicorum placitis, solem ex uno aethere, lunam ex aëre et aethere mixtam esse eaque de causa minorem inesse calorem censentium. Cf. Diels, dox. gr. p. 459, 2 (de Chrysippo) p. 627, 13.

Iam quod A. in deis numerat stellas, nubes, ventos (p. 130, 24) a Stoicis haud alienum est: Cic. d. n. d. I 37. II 42; etenim cum nihil in universitate rerum non sit divini particula animi, ut terra mare orae, hinc recte Zeno Chrysippus Posidonius in his omnibus dei naturam reponunt.

Summi autem mihi momenti videtur id quod de fato dicit 146, 3: *Ἡ τῶν ὅλων Φύσις καὶ Εἱμαρμένη καὶ Πρόνοια καὶ εἴ τι ἄλλο ὄνομα*[2]) *τούτοις ἰσοδυναμεῖ* .... nam hoc certe Stoicorum proprium est. Repetere mihi liceat, quae supra de hac re dixi; Stoicis unum numen erat prima et princeps causa, ratio in materie insita eiusque artifex, id est deus faciens; illam autem divinam animam variis nuncupabant nominibus; appellabant enim illam: Iovem, aethera, *τὴν τοῦ ὅλου — τῶν ὅλων — φύσιν*, divinam naturalemque legem, *νόμον*, necessitatem omnium rerum, *ἀνάγκην*, fatum — *εἱμαρμένην*, providentiam — *πρόνοιαν*. Ceteri autem dei antiquitus traditi, ut Apollo, Minerva aliae eiusdem numinis partes sunt aut melius idem numen diversis vero nominibus usum, quod diversis fungitur muneribus vel in diversis mundi partibus apparet (Zeller IIIa[3] 325), ut vetus poeta dicit, Hermesianax, Stoicis laudatus:

Πλούτων Περσεφόνη Δημήτηρ, Κύπρις, Ἔρωτες
Ἄρτεμις ἠδ' ἑκάεργος Ἀπόλλων εἷς θεός ἐστιν.[3])

Cuius sententiae permulta testimonia exstant.[4])

1) Iterum *οἱ σοφοί.* Cf. p. 142.
2) *ὄνομα* quod sensus requirit addidit Hercher.
3) Cf. Villoison, theologia physica Stoicorum (Cornutus ed. Osann. p. 505).
4) Cic. d. n. d. I 37. I 39. Plut. de Stoic. rep. IX 3. XXXIV 5 de comm. notit. XXXI 5. Minuc. Fel. Octav. XIX 10. Tert. apol. 21. Lact.

Facile autem intellegitur singulos inter se misceri posse deos, utpote qui una eademque vi contineantur i. e. anima divina; quod saepe apud Art. invenitur:

P. 144, 32: *ἔτι καὶ τὴν Δημήτερα τῇ γῇ τον αὐτὸν ἔχειν λόγον φασὶν οἱ σοφοί.*

P. 145, 21: *ἡ λεγομένη Μήτηρ θεῶν γῆ εἶναι νενόμισται.* Quos locos si coniungimus et *Δημήτερα* et *μητέρα τῶν θεῶν* inter se misceri cognoscimus. — P. 142, 13: (*Ἀφροδίτη*) *φύσις καὶ μήτηρ τῶν ὅλων εἶναι νενόμισται.* — P. 146, 8: *Ἡ τῶν ὅλων Φύσις καὶ Εἱμαρμένη καὶ Πρόνοια καὶ εἴ τι ἄλλο ὄνομα τούτοις ἰσοδυναμεῖ.*[1]) Huc illud quoque pertinet quod Sol et Apollo unus deus esse censentur; nec minus hoc referri potest ad Stoicorum theologiam, quod A. praedicat 14, 4: *ἄλλοι ἄλλους τιμῶσι θεούς, ἀλλ' ἐπὶ τὸ αὐτὸ τὴν ἀναφορὰν ἔχουσι πάντες* i. e. multa sunt nomina, unum numen.

Exstat deinde apud A. locus qui certissime cum Stoicorum quodam decreto convenit, 42, 25: *τὸ αἰδοῖον ἔοικε γονεῦσι μὲν ἐπεὶ τὸν σπερματικὸν ἐπέχει λόγον*; intellexerunt enim Stoici per *σπερματικὸν λόγον* vim illam, quae instar seminarii continet in se causas rerum factarum, quae fiunt et quae futurae sunt; dein constituerunt complures *λόγους σπερματικούς*, qua in re idem nobis offertur, quod in illorum de deis placitis; etenim una illis fuit divina vis, multae autem eius formae.[2])

Iam vero heroes atque daemones, quos deos habent Stoici minores ceteris, ministros eorum internuntiosque, apud hunc exstant; e Stoicorum autem mente unicuique appositus est angelus custos, malorum bonorumque observator (Epictet. diss. I 14, 12. 14, 14. Sen. ep. 110, 1); idem elucet ex Artemidori verbis 262, 3: *ὁ μὲν γὰρ πατὴρ εἰκότως ἐσήμαινε τὸν δαίμονα τὸν τοῦ ζῆν αἴτιον τῷ ἰδόντι.* Simile invenisse mihi videor hoc loco: *Εἰ δέ τις ἐν δεσμοῖς ὢν ἴδοι τὸν ὄνειρον τοῦτον, προσεπισωρεύσει αὐτῷ τὸ δαιμόνιον καὶ ἄλλα τινὰ κακὰ πρὸς τῷ μὴ λυθῆναι*

inst. div. IV 9. Euseb. pr. ev. XV 15. Diels, dox. gr. p. 306 (Athenagoras) p. 588 (Epiph. adv. haer.) p. 618 (Galeni hist. phil.). Corn. d. n. d. XIII Zeller IIIa³ 315. 318. 673, 5.

1) Rectam esse hanc interpretationem inde potest cognosci quod singula numina in aequo ponit matri deorum, vel naturae omnium vel terrae (Aug. de civ. d. VII 16), in quibus anima divina — i. e. vis qua omnia progignuntur — manifeste atque clare apparet. Cf. Lobeck: Aglaoph. p. 79.

2) Ceterum *ὁ σπερματικὸς λόγος* facultatem quoque libros progignendi ut partem animae significat. Cf. Plut. de pl. ph. IV 4. 2. Zeller IIIa³ 198.

20, 8; dicit Art. *τὸ δαιμόνιον* i. e. suus cuique genius mala addet.[1])

De deis satis mihi dictum sit; alia investigemus indicia, unde eluceat Artemidori placita cum Stoicis congruere. Atque in morali quidem parte Stoici censebant ad virtutem perveniri animo sedato nec incitationibus perturbato (Zeller IIIa^3 230 sq.); itaque vacationem spei atque metus potissimum appetiverunt (Cic. Tusc. qu. III 23. V 43); principes enim affectus esse *ἐπιθυμίαν φόβον λύπην ἡδονήν*, ortos ex falsis opinionibus de rebus aut praesentibus aut futuris decernebant. Nec non haec habet A. qui condemnat spem metumque ut praebentes inania somnia: 3, 23. 199, 17. 200, 2—8. Quid? quem vocat hic *σπουδαῖον*, nonne is videtur esse sapiens ex Stoicorum decretis, quoniam nec perturbatur spe metuque, et moderatur libidinibus?[2])

Obiciat mihi quisquiam, quod A. dicit 98, 24: *κρεῖττον τὸ κακοῦν τοῦ ὑπό τινος κακοῦσθαι*, toto caelo a Stoicorum praeceptis distare; sane Stoicis placebat iniuriam haudquaquam esse inferendam, contra amore prosequendos vel inimicos, certe veniam esse dandam. (Sen. de ira II 32. Cic. de off. I 88. Tusc. V 56. Zeller IIIa^3 300. 752.) Secuti esse videntur in hac re Stoici[3]) Platonem Platonicumque Socratem (Zeller IIa^4 171) qui nullo omnino modo iniuriam esse inferendam censebant. (Crito 49 B. Gorgias 469 C. 473 A. 474 B.)[4]) Neque autem omnes hoc praeceptum servabant (Meno 71 E. Rep. I 334 B), contra plurimi — in sophistas potissimum cadit — boni esse viri praedicabant, amico quidem prodesse, obesse inimico (cf. Xen. Mem. II 6. 35 Eurip. Ion 1046 Nauck); Aristoteli autem neque inferre neque accipere iniuriam iusti videbatur viri: eth. Nic. 1126, eth. Eud.[5]) 1231 B. — Si autem

1) Posidonius scripsit *περὶ ἡρώων καὶ δαιμόνων*, quibus utebatur ad divinationem firmandam atque probandam. Zeller IIIa^3 320, 3. 576.

2) Iam placitum Stoicorum illud: *μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος πλούσιος βασιλεύς κτλ.* (Zeller IIIa^3 251) si quis invenisse sibi videbitur apud A. 22, 8 decipietur: *ἀγαθὸν δὲ καὶ ἀνδρὶ σοφῷ καὶ ἱερεῖ καὶ μάντει καὶ βασιλεῖ καὶ ἄρχοντι καὶ τοῖς περὶ τὸ Διόνυσον τεχνίταις.* Nam exstat hoc loco *ὁ σοφὸς* una cum sacerdotibus vatibus regibus archontibus; neque autem ea de causa coniunguntur, quod unus philosophus verus est sacerdos et vates et rex, sed, ut ait A., *τούτων γὰρ οἷς μὲν ἔθος ἐστὶ κομᾶν, οἷς δὲ τὸ ἐπιτήδευμα κομᾶν ἐπιτρέπει.*

3) R. de Scala, St. d. Pol. I 221.

4) Cf. Gellius XII 9.

5) Abhorret ab eo paraphrasis ad eth. nic. cf. Mullach III 429 l. V cap. 8: *ὅτι χεῖρον κακὸν τὸ ἀδικεῖν τοῦ ὑπό τινος ἀδικεῖσθαι.* Stahr, Aristot. II 262.

uni ex eis, qui iniuriam accipere turpius atque peius quam inferre profitebantur, attribuere in animo habes Artemidorum, timeo ne in errorem incidas. Analogiam afferre licet: christiani iubentur amare inimicos; quantulam autem partem invenies, qui hoc sequantur praeceptum! Noli igitur hac de causa Artemidorum mihi eicere e Stoicorum castris, ne aut ipse ex christianorum depellaris aut multos depellas.

Quam civitatis formam probaverit A. aperte non docet; sed quod duobus locis oves dicit significare homines 63, 18. 100, 8, suspicio oritur novisse eum Cynicorum Stoicorumque de hac re placita; ovium enim gregi Cynici eosque secuti Stoici rem publicam comparabant: Zeller IIa⁴ 325, 5. IIIa³ 302, 3: Plut. Alex. M. virt. I 6: *ἀγέλη σύννομος, νόμῳ κοινῷ τρεφομένη.* Art. 100, 8: *πείθεσθαι τῷ ποιμένι καὶ συναγελάζεσθαι.*

Animas quae in animantibus reperiantur, affirmat Diog. L. — Zeller IIIa³ 200 — Stoicis immortalis animae mundi partes videri; idem habet Eus. pr. ev. XV 20. Hippol. Diels dox. 571, 17. Qua de re quid censeat A. invenies p. 155, 9. 160, 25: *φασὶ γὰρ τὰς ψυχὰς ἀπαλλαγείσας τῶν σωμάτων εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνιέναι τάχει χρωμένας ὑπερβάλλοντι.* (Cf. de celeritate Cic. tusc. qu. I 43.) Idem enim fere inde apparet: post mortem redit anima ad caelum i. e. ad aethera, unde profluxit; animae mundi ac proinde dei non solum opus sed etiam pars est, neque ab ipso sed ex ipso facta. (Friedlaender, Sittengesch. III⁵ 690.) Contra alio loco habet A. post mortem in aliis studiis esse occupatam animam hominis 262, 7. Sed neque suam ipsius sententiam ibi profert nec Stoici de hac re omnes consentiebant. Alii enim censebant animas corporibus solutas saltem sapientes ideoque validas aliquamdiu inter divina coelestiaque remanere, alii statim post obitum naturae suae reminisci et in animam mundi communem animarumque fontem refundi. Diog. L. VII 157.

Mortem ipsam haud timendam esse praedicat A. quippe quae liberet omnibus curis laboribus incommodis p. 150, 9. 25. 151, 3. 9. 247, 3. 259, 22. 273, 9. Neque aliud significatur verbis Cornuti Stoici, qui *Εὐβουλέα* vocat Hadem, cap. XXXV p. 74, 10, porro conferendi sunt Senecae hi loci ep. 24. 70. 58. de ira III 15.

Sedem animae cum plurimi Stoici censerent esse cor, Cleanthes ponebat *τὸ ἡγεμονικόν* i. e. *τὸ λογικόν* in capite vel cerebro, inferiores partes in corde reliquit; quem secutus esse

videtur Posidonius.[1]) Artemidorus quoque fontem vel initium vitae — et in anima sita est vita — in capite inesse docet p. 6, 19. 36, 4. Contra ceterorum placitum prae se fert 42, 14; neque igitur in unius verba magistri iuravit.

Negat A. 226, 16 in natura omnia esse necessaria, contra multa pulchritudinis ornatusque causa esse constituta contendit. Hoc autem ipsum semper Balbus Stoicus apud Ciceronem praedicat neque minus e pulchritudine naturae quam ex utilitate deos esse concludit. Cic. d. n. d. II 58. II 104. II 115. II 127. Zeller IIIa[3] 170 sq.

Deinceps, quas artis suae partes discernit in memoriam vocant Stoicorum artis grammaticae partitionem; dico autem haec:

Propius inter se iunguntur apud A. libri quattuor primi, secernitur quintus; in quinto enim numerum satis magnum confert somniorum, quae significata sint eis, docet, causas explicat; in primis quattuor non a veris sed fictis proficiscitur somniis, causas addit eventus, rarius exempla; in illis exstat ratio, in hoc usus.[2])

De libris I—IV quid ipse censuerit, hinc elucet 148, 21: *τέχνη ὀνειροκριτικὴ καὶ ὑποθῆκαι θεωρημάτων.*

254, 6: *τεχνικὴ θεωρία*: vult igitur accipias hos libros ut rationem (*θεωρίαν*) continentes. Quintum addidit *ἱστορίας ἕνεκα ὅπως ἔχῃς ἀπονώτερον ταῖς τριβαῖς χρῆσθαι* 252, 26.

254, 8: *ὅμως σοι προσδεῖν ἡγούμενος τριβῆς τε καὶ γυμνασίας τὴν ὑπόσχεσιν ἀποδίδωμι.* Quid autem significat priore loco *ἱστορία*? Assumas quaeso 253, 2: *τὸ προκείμενον ἦν ἱστορίαν ὀνείρων ἀποβεβηκότων συναγαγεῖν σοι.* Inde mihi clare videtur apparere nuncupatam esse Artemidoro vocem *ἱστορίας* pro materie. Materiem — scribit filio — somniorum tibi colligo, qua usus magis magisque in arte exercearis (*τριβή*). Itaque in *ὀνειροκρισίᾳ* haec deprehenduntur: *θεωρία, ἱστορία, τριβή,* quae partitio eadem fere est atque Taurisci, Cratetis discipuli — et a Stoicis stabant Pergameni — qui dividit grammaticam vel potius *τὴν κριτικὴν* in *λογικὸν ἱστορικον τριβικόν*; atque apud eum quoque *ἱστορικὸν* continet materiem fabularum et narrationum apud poetas et rerum scriptores, quae discernenda est viro critico. Quod ceterae partes argumenta alia tractant, mirum

1) Cf. Hirzel, Untersuchungen zu Ciceros philos. Schriften II 772 sq. Eius argumenta non refutavit Schmekelius 259, 2.

2) Qualis est liber V, tales conscripsisse censeo A. ante editum opus, unde experientiam hauriret; eae fuerint, si mihi licet, parva componere magnis, *πολιτεῖαι, πολιτικὴ τέχνη* l. I—IV, est l. V via, finis ceteri.

non est, quoniam artes critica et onirocritica tanto distant intervallo. Cf. Steinthal, Gesch. der Sprachw. 545. Hirzel, Untersuchungen II 888.

Saepius iam in perlustranda Stoicorum theologia commemoranda mihi fuit consuetudo philosophorum illa, allegoria atque etymologia quam vocant Graeci demonstrare in deis vim inesse quandam naturalem. Illae autem etymologiae adeo non litteris doctrina scientia nitebantur, ut contra ad insaniam fere inepte profusae sint.[1]) Eodem auxilio A. utitur eundemque in risum incidit; proferam nonnulla exempli causa:

4, 3 sq.: *ὄνειρος....τὸ ὂν εἴρω....ὀρείνω.*
11, 28: *κάμηλος....κάμμηρος (κάμπτω).*
24, 6: *καρῆναι...χαρῆναι.*
71, 16: *κήρινοι στέφανοι..κῆρα.(θάνατον).*
100, 8: *πρόβατον....προβιβασμός.*
100, 14: *κριός....κρείειν (ἄρχειν).*
101, 10: *ὄνος....ὄνασθαι.*
102, 2: *βόες....περιβοήσεις.*
113, 1: *ἀετός....α—ετος (πρῶτον ἔτος).*
203, 6: *ἔθος....συνθέμενοι ἑαυτοῖς.*

Nec multum differt, quod ex sola sermonis consuetudine interpretari conatur somnia:

43, 10: *μήδεα = βουλεύματα = αἰδοῖον.*
43, 11: *αἰδοῖον ἀναγκαῖον καλεῖται.*
43, 12: *αἰδοῖον = αἰδώς = ἐπιτιμία.*

89, 3. 89, 13. 95, 2. 121, 24. 133, 25. 145, 6. 170, 14. 192, 11. 153, 17. 207, 18. 217, 20. 248, 25. 272, 23.

Neque hic praetermittendi sunt silentio singuli termini vel singulae voces, in quae permigrantes Stoicorum philosophiam incidimus; sunt autem potissimum haec:

Accurate inter se distinguuntur:

μῖξις. κρᾶσις. σύγχυσις. παράθεσις.[2]) *Μῖξις* quidem adhibetur sine certa notione, de aqua et vino vel melle loquentes utuntur voce *κρᾶσις*, *παράθεσις* de frumento; *σύγχυσις* exempli causa de pharmacis. Retinent enim in *παραθέσει* materiae suam quaeque naturam et qualitatem neque inter se coniunguntur, ut

1) Exempli causa apud Cornutum Aphrodite nominatur quod sunt *ἄφρονες οἱ ἡττώμενοι αὐτῆς*, cf. Cic. d. n. d. II 66. III 63. de off. I 23 (fides — fio).

2) Zeller IIIa 127. Cf. Alexandri Aphrodisaei de mixtione libellus, Tübingen 1540 p. 47 sq.

si miscentur fabae cum tritico (*παράθεσις* est *σωμάτων συναφὴ κατὰ τὰς ἐπιφανείας*). In *κράσει* autem ut permeat altera alteram, tamen dividi atque resolvi possunt, quoniam suas quaeque materia qualitates haud amittit (*δύο ἢ καὶ πλειόνων σωμάτων ἀντιπαρέκτασις δι' ὅλων, ὑπομενουσῶν τῶν συμφυῶν περὶ αὐτὰ ποιοτήτων*). Id non cadit in *σύγχυσιν*, qua adeo materiae altera in alteram transeunt, ut naturam suam abiectam vel mixtam cum altera resolutione recipere non possint, contra nova aliqua res orta est mixtura: *Σύγχυσις δύο ἢ καὶ πλειόνων ποιοτήτων περὶ τὰ σώματα μεταβολὴ εἰς ἑτέρας διαφερούσης τούτων ποιότητος γένεσιν.* — Quae conferamus cum Artemidori nonnullis locis:

206, 15: *τῷ γῆμαι καὶ κοινωνῆσαι ἐθέλοντι ἄμπελος καὶ οἶνος, ἡ μὲν διὰ τοὺς ἕλικας ὁ δὲ διὰ τὴν κρᾶσιν, ἐπιτηδειότερα πυρῶν ἢ κριθῶν.* Quid? hoc loco nonne eodem sensu nuncupat *κρᾶσιν* atque Stoici? nonne vini aquaeque mixtura opponitur hordei atque tritici? Accedit quod Antipater quoque conubium confert cum *κράσει*: Stob. flor. 67, 25. Amicitiae enim ceterae comparandae sunt *ταῖς τῶν ὀσπρίων κατὰ τὰς παραθέσεις μίξεσιν*, amicitia autem inter coniuges *ταῖς δι' ὅλων κράσεσιν, ὡς οἶνος ὕδατι καὶ τοῦτο μέλιτι μίσγεται δι' ὅλων.* Eadem autem comparatio ex Artemidori loco citato apparet.

182, 22: *συνεργὰ δὲ τὰ εἰς ὑφὴν ἱστοῦ παρασκευαζόμενα πολλὰς φροντίδας καὶ σύγχυσιν πραγμάτων σημαίνει ὧν ὀψὲ καὶ μόλις ἔσται διάκρισις· ἕως μὲν γάρ ἐστι συνεργά, συγκέχυται καὶ ἀδιάκριτά ἐστιν.* De iugi filis nuncupat vocem *σύγχυσις*; et id quod supra commemoravi, hic quoque nobis occurrit: quae synchysi commixta sunt, solvi non possunt (*ἀδιάκριτά ἐστιν*). — Vox *μίγνυσθαι* habet sensum coeundi.

Ἔνστασις est institutio; potissimum de moribus adhibetur. Epictet. diss. III 22, 19: *πρῶτον οὖν τὸ ἡγεμονικόν σε δεῖ τὸ σαυτοῦ καθαρὸν ποιῆσαι καὶ τὴν ἔνστασιν ταύτην.* Artem. 200, 3: *ἔνστασις ἀγαθὴ καὶ εὐπροαίρετος.*

Hominem vocat M. Aurelius IX 16: *ζῶον λογικόν*: *οὐκ ἐν πείσει ἀλλ' ἐνεργείᾳ τὸ τοῦ λογικοῦ πολιτικοῦ ζώου κακὸν καὶ ἀγαθόν.* VIII 35: *τὸ λογικὸν ζῶον δύναται πᾶν κώλυμα ὕλην ἑαυτοῦ ποιεῖν καὶ χρῆσθαι αὐτῷ, ἐφ' οἷον ἂν καὶ ὁρμήσῃ.* Art. 211, 20 hominem numerat in *ζώοις λογικοῖς*. Cf. Epict. I 6, 12. I 9, 4 saepius.

κατάληψις est cognitio, perceptio, comprehensio. Cic. ac. pr. II 17. 145 de fin. III 17; multis locis apud Epictetum habes

καταληπτικαὶ φαντασίαι; idem fere sensus subest verbis Art. 1, 11: *περὶ ὧν ἂν ἔχω κατάληψιν.*

Non distinguit A. p. 177, 3 inter *ἐπιθυμίας* et *ὀρέξεις*; ne Stoicis quidem haec vocabula opponuntur, quoniam alterum interpretantur per alterum, instructum id quidem epitheto.

Βούλησις est *εὔλογος ὄρεξις.*

Ἐπιθυμία est *ὄρεξις ἄλογος* vel *ἀπειθὴς λόγῳ*; *ὄρεξις* igitur est genus, *ἐπιθυμία* species.

Porro 197, 13: *ὅσα σπερματωδέστερα καὶ οὐκ ἐξειργασμένα οἱ παλαιοὶ συνέγραψαν, ἐξειργασάμην εἰς λεπτὴν καὶ ἀληθῆ διαίρεσιν* in memoriam nobis revocant verba Ciceronis de Zenone et Cleanthe Stoicis: de div. I 6: *quod et Zeno in suis commentariis quasi semina quaedam sparsisset et ea Cleanthes paulo uberiora fecisset.* — 257, 15: *ἄσκησις* philosophi in Stoicum optime quadrat. Zeller IIIa^3 51. *προσεπισωρεύειν* 20, 8 accumulare, vox satis raro nuncupata primo invenitur apud Epictetum: Diss. I 2. 24. II 16. 21.

Docuisse mihi videor multa Artemidori et Stoicorum convenire decreta. Forsitan obiciat mihi quispiam: quae tu argumenta profers, refuto; etenim hoc vel illud non Stoicorum proprium est, sed apud alios quoque potest indagari. Sane! sed omissa de Artemidoro quaestione, quid de Stoicis censendum est? Quid? quaecunque prae se tulerunt, omnia ipsi finxerunt? Minime, a prioribus multa sunt mutuati; ut Heraclitus ille, cuius ex alleg. hom. nonnullos attuli locos, Homero tribuit ea, quae ipse probavit, Homerum, ut ita dicam, stoicissasse putat. Cf. Cic. d. n. d. I 41. Vnde cognoscitur non puduisse Stoicos confiteri, non nova se fingere placita, sed proferre ea quae iam diu valuissent. — Itaque in alios alia quadrant, in Stoicos summa atque plurima.

Neve hoc quisquam improbet: non omnia Stoicorum philosophumena praebet Art. In onirocriticis libris philosophiae nullus fere locus datur. Itaque cum congruant tam multa cum Stoicis, nihil [illegible] pugnet, hoc concludo:

Art. etiamsi non uni philosophiae totum se dedit, tamen philosophorum disciplina imbutus et Stoicorum potissimum decretis instructus est.